

ATIONUM

XI.

80
A
12



1. De Assentationibus Itorum. P. A. Leyser. R. A. F. de Drandorf.
2. De Juris Romani et Germanici Differentiis. P. I. P. Ludwig.
R. F. Terquich.
3. De pignore conventionali facitolo. P. I. N. Hertig. R. F. Antonig.
4. De Injuriis. P. J. Mehlbaum. R. I. Parthesig. de Mentfern.
5. De Jure retractus. P. J. V. Beckman. R. C. Leyssel.
6. De actionibus feudalnomine competentibus. P. J. P. Struyß.
R. C. C. Pfeiffer.
7. Jurisprud. ^{hinc} Justinianeae Solresplendescens. Autore.
H. P. Haberkornio.
8. De Exceptionibus in genere et summation potissimum
vero de variis dilatoriarum et peremptoriarum speciebus.
P. J. Lotichig. R. F. V. Wisel.
9. De Pignorationibus. P. C. Mantig.
10. De Renovatione investiturae feudalis. P. C. Kiegler.
R. J. A. Schreckenfuhs.
11. De eo, qui est sine domicilio secus L. 27. D. 4. ad municip.
P. C. Thomafius. R. J. C. Pfeiffer.
12. De Arbitro compromissario et Judiciis Austriacis. P.
J. Neberg. R. J. F. a Luttitz.
13. De Fideicommissis familiae. P. B. Rinckig. R. Chaffarben
von Etindfrim.
14. Juris controversi Theoretico practici Decas. P. Lud. Menckeng.
R. J. L. Mencke.
15. De jure possessionis. P. A. Ricig. R. J. Waelhof.
16. De Codicillis. P. Geisler. R. F. V. Pfeiffer.
17. De restitutione alieni injuste ablatis. P. J. W. Martini.
R. H. Birnbaum.
18. De Legitimatione. P. F. Geisler. R. J. von Dale (et in Tom. 12. D. 24)
19. De Incediorum Jure. P. M. Z. Cramer. R. H. ab Horn.
20. De actione in factum pro retinenda possessione praesentia
nea competente. P. J. Bornig. R. G. Becker.

2A
Z.T.

THESAURUM.

PRÆSIDE.

DN. JOH. GEORG. SIMONE. D.

EXHIBET.

PAUL, DE. RAMEL.

EQV. POMERAN.

JENÆ. DIE. XXIII. AUGUST. M. DC. LXXIIX.

TYPIS. MÜLLERI.

A Son Excellence

Monfieur

LE BARON

DE SVVERIN,

Chef du Confeil & Grand

Chambellan

De

Son Altesse Electo-

rale de Brandenbourg

&


Grand Ballif du Vieux

Landsberg, Zachan,

Oldvvigshage &c.

Doyen du Chapitre de Brandenbourg

&c. &c.



Monfieur.



*Comme j'ay deſſein de ſacrifier
mes études et ma vie au ſervice
de mon Prince, et que je ne
ſçaurois le luy faire connoître
par moy même, j'ay oſé eſperer,
que vòtre Excellence, qui ſe fait un plaisir
ſingu-*

A 2

singulier de montrer ce que peut la generosité,
voudroit bien m'accorder la grace de me met-
tre au nombre de ses Creatures, et de m'ho-
norer de sa faveur. Il y a environ sept ans,
Monsieur, que j'eus l'honneur de dépendre
dans le manège de Colberg de feu Monsieur
Le Baron de Suerin frere de vôtre Excel-
lence, et j'eus cet avantage pendant deux ans;
mais la mort en le ravissant au bien de
l'Etat, me ravit aussi mes esperances et ne m'en
laisa point d'autres que celles, que me donne
vôtre genereuse bonté; Je la prie donc par elle
même de croire, qu'il n'y a point de personne
au monde, qui soit avec plus de veneration et
de Zele que moy.

Monsieur


De Vôtre Excellence

Le tres humble et tres obeissant
Serviteur

Paul de Ramel.



L. S.



Uamobrem Tibi jam, Lector amice, in publicam eruditorum scenam dederim latebris suis extractam denudatamque avaritiam, vel altius repetere, vel profundius supervacuum æstimo te meditari. Audit siquidem illa omnis improbitatis metropolis Bioni, *Stob. sermon. 10.* latentium lucrorum indagatrix *Valerio, lib. 9. cap. 4. in princ.* quid? manifestæ prædæ avidissima vorago; quæ nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi undiquaque miserrima evadit. Hinc multos videre licet alieni rapacitate contabescentes, tantoque majores sitientes divitias, quanto plures ipsis usque dum helluosè epotæ. Alios in terræ visceribus cuniculos agitare juvat, desperantes scilicet seminatos vix demum in sublunaribus lucellos.

A 3

peni-

penitus experiris p̄ximitatis benè vivere for-
midantes, qui ea propter facultates per nefas
corrasas tenebris obliviosè demandant, cer-
vorum instar, cornua dejecta, si modo non
fabulosus *Plinius* (*lib. 8. c. 32.*) operosius in lo-
ca abdita reponentium; fortean ne, ut hæc
tanquam mali veneni robustissimum antido-
tum; ita & illæ, ceu rerum gerendarum for-
tissimus nervus, mortalibus emolumento ce-
dant atque sanitati. Alios denique animad-
vertis, adeò diripiendi metu adactos, suasque
opes & pecunias cistæ concredere desperan-
tes, ut eosdem vel coti suum, si possibile, au-
rum infuturos tutò diceres. Inde non rarò
multa post secula mucidus demum detegitur
nummus, qui, propter memoriæ defectum,
æque ac deponentis incertitudinem, varios in
orbe motus Juri positivo est causatus; de qui-
bus pro nunc sub *Thesauri* nomine quædam
traditurus, Te mihi benevolum, cordate Le-
ctor, confidens promitto. Id modo scias,
thema hoc, sæpius in variis licet ventilatum
Academiis (*vid. th. fin. huj. Dissert.*) specialiq;
insuper

insuper tractatu condecoratum à *Bitschio*,
Antecessore Argentoratensi, nihilominus suis
semper aliquid meditationis dereliquisse, quod
quasi per traducem ad novos in posterum la-
boraturos transmitteretur. Spero proinde
meum quoque conatum tibi ex parte placitu-
rum, qui pro possibili, quæ fortè in aliis vide-
bantur omissa, supplere annisus sum; quod
si non obtinuerim, veniam dabis ei, qui cum
adultioribus annis maturiora promittit: Vale.

Thef. I.

Thesaurum veteres Thensaurum dixisse, non solum pro-
bant *l. 63. §. 4. de A. R. D. l. 3. §. 3. ff. de A. vel A. P.* ubi
bis, & *l. 15. ad Exhib.* ubi quatuor vicibus reperitur; sed
etiam *Thom. Dempst. in not. ad Johann. Rosin. Antiquitat.*
Rom. l. 7. cap. 31. pag. 725. ubi, notari, inquit, velim, Veteres &
Thensaurum usurpasse pro Thesauro, ut & formosus in usu pro
formosus; *Vet. Scholiast. Juvenal. ad V. 199. sat. 13.* Glaucum di-
cit genere Spartanum, qui creditum fidei suæ Thensaurum à Mile-
sio quodam, & repetentibus hanc pecuniam heredibus filiis ejus-
dem Milesii reddere dubitavit. Notatum est à viris doctis, *Petro*
Pitheo & Fr. Lindembrogio, ex Pandectis Florentinis multis in lo-
cis. *Æl. Donat. in Terent.* thensauro Latini veteres secundum
Græcos proferebant. Atque in P. Terentio legendum ex fide
M. S. Codicis in prologo Eunuchi: *Idem Menandri Phasma* nunc
nuper dedit atque à Thensauro scripsit, causam dicere prius, un-
de aurum petitur, quare sit suum, quàm ille qui petit, unde is fit
Thesaurus sibi &c. Hæc *Dempsterus*. Quamvis verba *Donati*
insufficienter ab eodem citata esse, probabile appareat ex his, quæ
pro-

profert cum *Pardulph. Pratej. & Johann. Calvin. in Lex. verb. Thesaurus. Joachim. Mynsing. ad §. 39. Inst. de R. D. num. 6.* Sic autem Illi: Quod in Pandectis Florentinis perpetuò legitur Thesaurus, hoc neque *Caper Grammaticus*, neque *Donatus* probant: Nam, Thesaurum, inquit *Donatus*, veteres secundum Græcos (ubi *θησαυρος* non *θησαυρος*) sine litera N. proferebant. Nobis perinde erit; dummodo constet Veteribus magis *Latinum* fuisse Thesaurum, magis *Euphonicum* Thesaurum: ut proinde optimè conciliari cum *Anton. Augustin. lib. 2. emendat. cap. 6.* queat *Lipsius lib. singul. de rect. pronunc. Lingv. Latin. cap. 5.* cujus tamen opinionem sermo quotidianus denuò confirmavit, insecutusque est in suâ Editione *Noricâ Haloander*

Thes. II.

Varii hujus vocabuli significatus passim sunt obvii. Thesaurum *Ludovic. Cael. Rhodigin. Lectio. Antiqu. lib. 17. cap. 8. lit. D.* domicilium scribit fuisse subterraneum apud Messenios, neque auras, neque lucem exterius excipiens. Nec ullæ carceri fores erant, saxo immani intruso occludebantur. In quem, cum magnus Græciæ Imperator *Philopœmen* fuisset impactus, mox hausto veneno interiit. Idem describit *Liv. de Bell. Macedon. & Asiat. lib. 9. cap. 50. in verb.* Admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terrâ, saxo quadrato septum, eò vinctus (*Philopœmen à defectionis authoribus*) demittitur, & saxum ingens, quo operitur machina, superimpositum est, ita loco potius, quam homini cuiquam credendam custodiam rati lucem insequentem expectaverunt. &c. *Hæc Livius.* Unde proverbium quoque scitissimum, Thesauo dignus, in eum, qui teterrimo supplicio flagitiis adobrutus sit differendus. Plures subministrat *Conrad. Rittershus. ad §. 39. Inst. de R. D.* ubi ex *Eurip.* thesaurum aceruum vel cumulum seu copiam quarumlibet rerum, etiam malarum vocat. Hinc proverbium: Carbones pro thesauro, id est, res vilis pro pretiosâ. Et Jone thesaurus stupri, abolitæque fraudis apud *Plantum & Apulejum.* Sic thesaurus iræ apud *Paulum Rom. II. vers. 5. Calepin. in Lexic. voc. Thesaurus.* Imò facultates Principum ac Civitatum hoc nomine insignitas fuisse

fuisse, constat ex *Nicol. Bets. de Pact. Famil. Illustr.*, indeque conjecturandum, Præfectos istiusmodi opibus Thesaurarios fuisse nominatos, *Comrad. ab Einsidel. de Regalib. cap. 3. num. 386. Jacob. Menoch. de Præsumt. lib. 3. præsumt. 140. n. 11. add. th. 9. in fin. h. Diss.* quanquam, in specie privatorum pecunias thesaurum fuisse nominatum, velit *Dempster. loc. cit.*

Thef. III.

In jure nostro Justiniano itidem accipitur (1.) *generaliter* pro omni scil. pecuniâ lucri, metus, custodiae ve causâ sub terrâ reconditâ, & correspondet derivationi, quam vulgò faciunt, quod thesaurus dictus sit quasi *θεσάυρος*, sive *θεσάυρος εἰς ἀνεύροισιν*, scil. in crastinum seu futurum reservatus & repositus; uti ex *Alciat. docet Covarruv. regul. peccatum. part. 3. §. 2. add. Donell. 4. Comment. 15. princ. Frantzke. Ex. 4. quest. 10. th. 1. Harprecht. ad §. 39. Inst. de R. D. Mejer. in Colleg. Argentorat. ad tit. de A. R. D. n. 48. Klock. de Aerar. lib. 2. cap. 127. num. 1. Fr. de Amya, ad l. unic. C. de Thesauris. num. 3. Wesenbec. ad §. thesauros. lit. a. num. 2.* Hinc quærit *Papinianus*, an is, qui peregrè profecturus pecuniam in terrâ, custodiae causâ, condiderat, cum reversus locum thesauri in memoriâ non repeteret, desisset pecuniam possidere, vel, si postea recognovisset, locum confestim possidere inciperet? sibi que respondet, quoniam custodiae causâ pecunia condita proponeretur, jus possessionis ei, qui condidisset, non videri peremptum, nec infirmitatem memoriæ damnum afferre possessionis, quam alius non invasit, *l. 44. princ. ff. de A. vel. A. P.* Similiter *Ulpianus*, Labeonis autoritate suffultus, scribit, si unus heredum thesaurum relictum à testatore effoderit, familiæ eriscundæ judicio teneri, etsi cum extraneo conscio partitus sit, *l. 22. pr. Famil. Erisc.* Pomponius denique innuit: Thesaurus meus in tuo fundo est, nec cum pateris me effodere: cum eum loco non moveris, furti quidem aut ad exhibendum eo nomine agere non rectè posse me, Labeo ait: quia neque possideres eum, neque dolo feceris, quo minus possideres: utpote cum fieri possit, ut nescias eum thesaurum in fundo tuo esse. Non esse autem iniquum, juranti mihi non calumniæ causâ id postulare,

B

vel

vel interdictum, vel iudicium ita dari, ut si per me non stetit, quominus damni infecti tibi operis nomine caveatur, nevim facias mihi, quominus eum thesaurum effodiam, tollam, exportem. Quod si insuper furtivus iste thesaurus est, etiam furti agi potest, l. 15. ff. ad Exhibend. Eundem quoque generalem significatum ex Jure Sacro Novi Testamenti eleganter deducit Philip. Camerar. Hor. Succisiv. cent. 2. cap. 72. de ver. & utilib. thesaur. colligend. & conservand. per tot. Consimili pacto Joseph. Langz Florileg. part. 2. verb. Thesaurus. pag. 1346. Basilium dixisse ait, Thesaurum pecuniæ ama, non voluptatis, sed necessitatis causa: nempè, ut aut egentium inopiam subleves, aut iis, qui pro te mori parati erunt, sumtus suppedites. Aliorum enim urgens pecuniæ cupiditas non solum emolumentum nihil affert, sed magis etiam detrimentum parit. Opes enim, quæ virtutis ergo non coacervantur, vitiorum ferè ministræ sunt: quæ autem ad virtutis officia comparantur, possessorum animis & corporibus juvandis, magnas afferunt utilitates, cum aut egenis copiosè erogantur, aut fortibus & fidelibus amicis impenduntur: utrumque enim beneficentiæ officium est, etiamsi alio atque alio nomine inscribantur. (2.) Specialiter pro eo corpore, quod, respectu suæ depositionis rei memoriam excedentis, inter *ἀδελφωτά* numeratur, & à Rittershus. loc. cit. cum quo, presso licet nomine, idem sensit Bitsch. part. 1. §. 16. de Theaur. simpliciter *δῶν τῆς τήσεως*, sive *δῶν τῆς θέσεως*, à ponendo seu positione deducitur: cum hoc concordat conjectura M. Anton. Patil. Exarch. l. 4. cap. 18. & Christ. Beckm. de Orig. Latin. Lingu. verb. aurum. qui illud ab *ἀυρῶ* & *θέσει*, sive *θέσις* & *ἀυρῶ*, à depositione nimirum frequentiori, quæ propter faciliorem obsequendi facultatem in auro quammaximè consistit, juxta Jul. Scalig. lib. 4. Poet. cap. 16. compositum statuunt, nequicquam hic neglectam Græcorum literaturam urgente Caspar. Klock. de Arar. lib. 2. cap. 116. num. 1. Plura huc facientia laborioso conatu collegit Bitsch. l. c. §. 17. 18. & seqq. quæ tamen à me, qui rebus intentus sum ejusdemque acta denuò agere recuso, non tangantur: ad illum, & minutiora Philologorum pulpita excussa, quoad hoc thema, experieris.

Theſ.



Thef. IV.

Vocatur alias Thesaurus in Jure Civili (1.) Fortunæ donum, l. 63. §. 1. de A. R. D. (allegat præter hanc l. Hunn, lib. 2. resol. tract. 1. quæst. 37. num. 2. in fin. l. 7. §. 12. Solut. matrim. sed ibi nullum verbum reperitur) unde etiam Liban. Declam. 8. Thesauros, ait, plerique nanciscuntur, non ii, quos æquum est locupletari, sed quibus genius vel fors largitur. (2.) Dei beneficium, l. un. C. de Thesaur. Germanice ein Schatz/ ubi tamen iterum, secundum thesin præcedentem, tam ab æstimatione & pretiositate quælibet pecunia privata publicaue denotatur, quæ recondita est scienter & destinato; quam ex post facto, propter immemoriam condituram, nullius effecta. Constat hoc ex art. 35. lib. 1. Land-R. ubi verba: Alle Schätze unter der Erden begraben tieffer / denn ein Pflug gehet / gehören zu der Königlichen Gewalt. non de Thesauris arte magicâ inventis (ut Gloss. Latin. & German. ad h. t. Matth. Coler. part. 1. Decis. 100. num. 2. Reinhard. part. 6. differ. 13. fecere) sed de metallifodinis (quas ad regalia pertrahunt mores Germanorum, utut jure communi domino proprietatis cedant, Nicaf. de Voerd. ad §. thesauros. num. 3.) interpretatus est Serenissimus Elector Saxo, part. 2. Const. 53. in verb. Dieweilen aber unsere Verordnete dahin geschlossen / daß solche Correction der gemeinen Rechte nicht zuzugeben / bevor / weilen der Text in den Worten / von allen Schätzen / so unter der Erden ic. nicht von thesauris absconditis, sondern von dem Bergwerck und Erzk zu verstehen / und derowegen / da einer auf frembden Grund / ohne Vorsatz / aus Glück und Zufall / oder in seinen eigenen Güthern / einen Schatz finde / daß alsdenn hierinn nach Ordnung gemeiner Rechte zu sprechen sey / So lassen wir uns solches auch also gefallen / ic. Tametsi contradicat Bachov. in Animadvers. ad Treutler. Vol. 2. Disp. 20. thes. 2. lit. g. verb: etsi autem Jure Saxonico. Cui satisfacit Carpov. part. 2. C. 53. def. 4. Alias quoque Glossa Saxonica loc. cit. probare non possumus, quod illa velit, textum Juris Provincialis Saxonici, si ita intelligi deberet, ut ejus litera sonat, esse natu-



rali rationi contrarium: Quoniam, ut infra demonstraturi fu-
mus, conjectura quidem naturalis suadet, ut in re, quæ, ex tacitâ
hominum derelictione, nullius permanfit, priores partes In-
ventori assignemus; exinde tamen non sequitur, ut Juri Majesta-
tico & Jurisdictioni Territoriali (cum hîc nulla Juris naturalis
præcepta intercedant) ullibi præjudicetur, adeoque pro ratione
status & necessitate Reipublicæ contrarium asseri nequeat.

Thef. V.

Describunt Thesaurum Jcti nostri, quod sit vetus depofi-
tio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominium non
habeat, hominum scil. scientiâ & opinione, l. 31. §. 1. de A. R. D.
Quamvis magis ad rem facere & deponendi actionem (quæ uni-
vocè de suo subjecto prædicari nequit, perinde ut nec causa de
suo effectu in casu recto) ab ipso corpore deposito sejungere vi-
deatur delineatio Leonis in *Lunic. C. de Thesauris*. quod sint con-
dita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia. Idem
facit *Gloss. German. ad cit. artic. 35. lib. 1. Land-Recht. num. 1.*
Ein Schatz ist / eigentlich zu reden / nichts anders / denn ver-
borgen Geld eines unbekanten Herrn oder verstorbenen Leu-
te / von denen niemand keine Wissenschaft hat: Oder heisset
Gut oder Geld in der Erden vergraben / das also lange darin-
nen gelegen hat / daß von Alters wegen niemand gedencet /
wessen es gewesen sey. Ubi nomine pecuniæ intelliguntur quæ-
vis opes mobiles, uti catenæ, gemmæ, vasa, torques, nummi
aurei & argentei, *Less. lib. 2. cap. 5. d. 15. num. 57. Martin. Bonac.*
Theolog. Moral. tom. 2. Disp. 1. quæst. 3. punct. 6. num. 1. add. l. 222.
de V. S. Bocer. cap. 3. de Regal. num. 177. (unde fortè legere pro
mobilia potuit *monilia* Codex Theodosii) à quâ tamen si-
gnificatione exclusa volunt instrumenta *Oldrad. cons. 163. Mu-*
scat. Prax. Crim. tit. ult. num. 74. jurene an injuria? quemlibet
edocere possunt discursus, quos tradituri sumus in sequentibus.

Thef. VI.

Prætereà sola pecunia in Thesauro non sufficit, sed insimul
debet esse deposita; sive scienter, sive fortuito, perinde erit,
modo



modò depositionis memoria non extet. Loca autem olim in deponendo usitata recenset *Dempst. ad Rosin. lib. 7. cap. 31. p. m. 725.* cujus verba, cum rem nostram singulariter illustrent, huc apponere debuimus. Deponeretur, inquit ille, olim pecunia variè, aliquando in tumulis majorum, qui sacrorum in numero habebantur, neque sine piaculo violari, *Fest. lib. 17. in voc. Sacrum. & in voce Religiosus, lib. 16.* unde Andromache illa apud *L. Senecam Tragedum in Troad. Act. 3. scen. 1.* Est tumulus ingens conjugis cari sacer, verendus hosti, mole quem immensâ parens opibusque magnis struxit in luctus suos Rex non avarus. Et eâdem scen. paucis interjectis: Fuerat hoc prorsus nefas Danai, inausum templa violastis, Deos etiam faventes busta transferat furor. In his igitur tumulis repositi thesauri. *Donatus* in locum proximè laudatum, Adolescens, qui rem familiarem patris prodegerat, usque ad nequitiam, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum sibi caverat inferri, sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex avarus quidam ab adolescente emerat, servus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, Thesaurum cum epistolâ ibidem reperit, senex Thesaurum tanquam à se per tumultum hostilem illic defossam retinet, & sibi vindicat, adolescens iudice caput; Id in more positum fuisse discimus ex nobili illâ *Cyri Perfarum Regis* historiâ, quam *Arrianus l. 6.* descripsit & *Quintus Curt. lib. 10.* Fortè sepulchrum *Cyri Alexander* jussit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui dare volebat inferias, auro argentoque repletum esse crediderat, quippe ita fama *Perse* vulgaverant. Inde extat *Edictum Theodorici Gothorum Regis*, quod consule apud *Cassiodorum l. 4. Epist. 30.* moderatâ jussione decernimus, ut ad eum locum, in quo latere plurima talenta suggeruntur, sub plurimâ testificatione convenias, & si aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tuâ indagatione detectum, compendio publico vindicabis fideliter, ita tamen, ut abstineatis manus à cineribus mortuorum, quia nolumus lucra quæri, quæ per funesta possunt scelera reperiri: ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent sepulchra, talenta non teneant,

qui viventi commercia reliquerunt, aurum enim sepulchris ju-
ste detrahitur, ubi dominus non habetur, imò culpæ genus est,
inutiliter abdita relinquere mortuorum, unde se vita potest su-
stentare viventium, non est enim cupiditas eripere, quæ nul-
lus se dominus ingemiscat amifisse. Et in sacris literis Hyrcanus
& Herodes è monumento Davidis talenta tria millia, or-
natum ex auro, & thesaurum multum, *Joseph. Antiqu. Judaic.*
lib. ii. cap. ii. &c. Marc. Manil. l. 5. Astronomic. sub terris scru-
tari cœca metalla, depositas & opes. Aut in templis recondi-
tæ pecuniæ, ut initio hujus tractatus dicebam, & de populo
sancto notius est, quàm quod notissimum: Decretum enim à
Josue cap. 6. ut quicquid auri esset, aut argenti domino conse-
craretur, dum Hierico obsideretur, & Thesaurus memoratur
domus Domini in sacris literis, lib. 4. Reg. cap. 12. & Thesauri
divini leguntur præfecti lib. i. Paralipom. cap. 9. in eo Thesau-
ro non modò vestes sacræ, aut pecunia, sed & spolia hostibus
erepta, ut patet de lanceis & sagittis aureis, quas à Rege Sopho-
ne captas David gazophylacio consecravit. Narrat Joseph. lib. 8.
Antiqu. Judaic. cap. 10. Id vel maximè Romani moris, Ulpian.
apud Jacobum Revardum, variar. Lect. lib. i. cap. 15. rem pecu-
niamque signatam in æde deponere. Paulus Jctus: sed con-
stat, ut ante litem contestatam Præses jubeat in æde sacrâ pecu-
niam deponi. M. Cic. lib. 5. Epist. familiar. nam de Lucio est ita
actum, ut autore Cnejo Pompejo ista pecunia in fano ponere-
tur; & ibidem loci paucis interpositis: Illud me non advertisse,
molestè ferrem, ut adscriberem te in fano pecuniam, meo jussu,
deposuisse. Idem lib. 15. ad Attic. quum ex reliquis, quæ Nonis
Aprilis fecit, abundarem, cogor mutuari, quodque ex istis fru-
ctuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum pu-
tabam. M. Varro lib. 4. de Lingv. Latin. Ea pecunia, quæ in
judicium venit, in litibus à sacro sacramentum, qui petebat, &
qui inficiabantur, de aliis rebus uterque quingentos asses apud
Pontificem deponebant. Eadem itaque res in æde sacrâ, in
fano, apud Pontificem deponere: vide quæ hoc opere exposui de
donariis Templorum votivis. Caesar. lib. i. bell. civ. pecuniæ muni-
cipiis imperantur, à fanis tolluntur, omnia divina humanaque
Ju-

Jura permiscetur: *Herodot. Dio. Chrysoſtom. Emil. Prob. in Aristide. Herodian.* citati in hoc à *Dionysio Lambino* legantur, nam neque moris mihi, neque otii quicquam, ut transcribam. *Plant. Bacchid.* scil. ibo in Piræum. Nos ibi apud Theotinum, omne aurum deposuimus, qui illic Sacerdos est in Dianæ Ephesiæ. Et ibidem loci paucis interpositis. Quin ipsâ in æde Dianæ conditum est, ibi demum publicitus servant. Hucusque *Dempsterus*, cui secundas egit *Bitsch. loc. cit. §. 27. seqq. pag. 20.*

Thef. VII.

Differt tamen (1.) illa pecunia à Thesauro, quæ in terræ superficie vel in angulo aliquo domus in sacculo reposita reperitur, *Nicas. de Voerd. ad §. thesauros. num. 4.* quamvis dudum ibi posita videatur: Non est enim hæc propriè Thesaurus, sed ad inventorem spectabit tum demum, si dominus vel heredes ejus ignorantur. Sic *Raphaël Cumanus*, quem citat *Jason de Mayo, ad l. 3. §. Neratius. de A. P. num. 7 pag. m. 65.* inducit casum, qui secundum Eum aliàs fuit de facto in Civitate Genuensi sequentibus verbis: Quidam Gentiensis mercator, veniens ex Hispaniâ, detulit secum in navî certam quantitatem ceræ, & in unâ pillâ ceræ erant reconditi quatuor mille ducati: Iste mercator decessit, ejus filius vendidit talem ceram uni mercatori, cum ignoraret pecuniam in eo reconditam: Iste secundus mercator tenuit eam spatio trium annorum & ultra, deinde eam vendidit cuidam aromatario, qui pecuniam in cerâ invenit, quærebatur cujus esse debeat talis pecunia? Nam mercator, qui emerat à filio, dicebat: se triennio possedisse & sic usucépisse, cum esset mobilis: Sed cum ignoraret pecuniam esse in cerâ, nec amoverit loco, potest dici, nec possedisse, nec usucépisse, juxta *§. Neratius.* nec filius vendens & tradens habuit animum transferendi dominium auri; nec aromatarius, qui ultimò emit, potest dicere, se usucépisse, quia sciebat pecuniam alienam; ergò cum malâ fide non potest usucapere. Et quanquam *Cumanus ad h. l.* casum indecisum relinquat, tamen *Jason* rectè statuit, quod pecunia debeat reddi filio primi mercatoris, qui noluit à se abdicare dominium pecuniæ, quam esse

in

in cerâ ignorabat; Idque propter *l. ii. ff. de R. J. l. 67. de R. V.* Casum hunc ferè iisdem formalibus ex *Jasone* repetiit *Schneidw. ad cit. J. Thesaurus. n. 4.* Consentiant *Antonin. Dian. tom. 6. Oper. Moral. tract. 6. resol. 2. J. 2. pag. 292. cum Megal. in p. 2. lib. 2. cap. 4. quæst. 2. num. 13. Matth. Berlich. Conclus. 66. part. 2. num. 7. & seqq. pag. 448.*

Thef. IIX.

Differt (2.) à thesauro, si incolæ, metu belli defodientes pecuniam vel similia, ea deserunt, vel morte præventi suis heredibus aperire non possunt, quæ, ignoranter licet, vendita & ab emptore tam scienter, quam ignoranter eruta non censerent inter Thesauros, de quibus loquimur: Quare vel propriis Dominis eorumq; Successoribus restitui, vel, si justum contra illos bellum geratur, militi inventori prædæ instar cedere debent. Hinc cum juxta *Carpzov. in Jurisprud. Forens. part. 2. C. 53. d. 10.* heredes R. in pago quodam propè Lipsiam sito, vendidissent ædes maternas ab hostibus Cæsareanis maximâ ex parte igne combustas, in iisdem operarii ad reedificationem ab emptore conducti, summam pecuniæ ad centum usque thaleros & suprâ sub terrâ fodiendo invenissent; multum controvertebatur, cuinam cederet? Emtor siquidem, nomine thesauri sibi competere, prætendebat, assistentes habens operarios dimidiam partem pecuniæ fortuito inventæ jure vindicantes. Aliam rationem proponebat Fiscus, scil. quod ex dispositione Juris Saxonici res inventa, si, factâ proclamatione publicâ, dominus non veniat eam repetiturus, ad Magistratum pertineat, relictâ solummodo tertiâ parte Inventori; Demum quoque venditores (quibus etiam annuere Scabini Lipsienses M. Augusto, Anno 1636.) pecuniam illam sibi assignari petebant, ex eo, quod ipsorum mater, quæ ab omnibus pro sceminâ locuplete habita, nec tamen post ipsius obitum quicquam pecuniæ in hereditate repertum fuerat, in mediis bellorum tumultibus (maximâ enim ex parte thaleros repertos intra vicennium saltem fabricatos fuisse constabat) eam sub terrâ custodivisse crederetur. Addatur *Schneidw. ad J. Thesaurus. num. 4. pag. m. 182. Jason. ad cit.*

cit. *J. Neratius. num. 8. pag. m. 65. Bart. ad l. 68. à Tutore. de R. V. pag. m. 573. Felin. ad c. cum dilecti. 10. num. 7. X. de Accusat. pag. m. 848. Dom. Sot. de J. & J. lib. 5. quest. 3. art. 3. p. m. 437. Dian. Coordinat. per Martin. de Alcol. loc. cit. J. 2. in med. p. m. 292. b. ex part. 9. tract. 5. Res. 2. ubi monet, Hispanos, qui in prioribus seculis sepulchra apud Indos plena divitiis spoliaverunt, cum thesauri non fuerint, debuisse teneri semper ad restituendum successoribus defunctorum. Licet autem *Sayr. in Clav. Reg. l. 9. cap. 9. num. 12. cum Bannez. 2. 2. quest. 66. art. 5.* doceat, ejusmodi divitias ab Hispanis non esse restituendas, si causâ superstitionis, uti tum apud Indos, sint repositæ (existimabant enim mortuos eas secum deferre ad suos usus, vel eas falsis Diis sacrificabant) has quippe, ait, haberi pro derelictis; secus verò, si alicujus utilitatis causâ sint reconditæ. Attamen nihil aliud eisdem respondit *Diana, coram S. P. Alexandr. VII. Episcoporum Examinator & S. Officii Regni Sicilia Consultor*, quam: *Sic excusant Hispanos ea accipientes à sepulchris Indorum: procul dubio alia dicturus, si suæ libertati dicendi aut scribendi fuisset derelictus.* Apertius ante ipsum multoque cordatius rem gessit inter Hispanos magni nominis *Francisc. à Victoriâ, Theolog. apud Salmanticens. Profess. & Domin. Sot. atq; Melch. Can. Præceptor*, qui, posthabitâ omni suorum contradictione, aperte sustinuit in *Relect. 5. sive ad Ind. prior. sect. 1. num. 4. & seqq. pag. 206. & seqq.* Indos barbaros veros fuisse dominos ante adventum Hispanorum privatim & publicè, interque eos extitisse veros principes & dominos aliorum; quid? errorem nominat, si quis statuere velit, nullum in peccato mortali existentem habere dominium in quacunque re posse, aut peccatum mortale verum & civile dominium impedire; ratione infidelitatis dominium verum perdi; hæreticum jure divino ob hæresin commissam dominium bonorum suorum amittere, &c. cum quo, quum nihil verius à Romano-Catholico dici potuerit, discursum hujus thesisi ob-
signo.*

Thef. IX.

Idem juris est (3.) si pecunia fortè fortunà à quodam invito amissâ sit, quæ non fit inventoris, sed si dominus inveniri

C

ne-

nequit, expendi convenit in favorem pauperum aliosque pios.
usus, sicut similia bona incerti domini, juxta *Leonhard. Lessi*
dub. 15. num. 57. lib. 2. cap. 5. de Just. & Jur. pag. 42. Gregor. de Va-
lent. Comment. Theolog. Tom. 3. Disp. 5. quest. 10. punct. 3. pag. 1354.
Rationem quandam illi producunt ex *Sylvestr. verb. inventum*
S. 13. Navarr. in Manual. cap. 17. num. 171. & seqq. Palud. d. 15.
qu. 3. quod, qui amisit rem ex hoc, quod non sciatur ad ipsum
pertinere, non amiserit ullum jus ad illam, cum neque ulla lex id
jus ei adimat, neque titulus præscriptionis. Ergo debet illi res
restitui modo, quo potest fieri: sed potest illi restitui, si detur
pauperibus: nam tunc cedet in spirituale bonum ejus: ergo
eo modo debet illi restitui. Tametsi mihi magis placeat con-
clusio *Dominic. Soto de Just. & Jur. lib. 5. quest. 3. artic. 3. p. 438. b.*
quod ubi inventor indigens esset, & prævio proclamate publico
omnique adhibitâ diligentia verum rei amissæ dominium inve-
nire non posset, capere tutò valeret vel totum inventum, vel
partem pro suâ necessitate, dummodò id faciat juxta *Sot. l. cit.*
de consilio prælati aut confessarii, quamvis neque id forsitan
præcisè necessarium æstimet *Sotus*. Quod si, qui invenit, dives
fuerit, consilium putat saluberrimum, res inventas, quarum
domini haberi non possunt, in pauperes aut in publicos piosque
usus erogari. Interim hanc necessariam esse præceptionem, non
fatis audet affirmare inter Romano-Catholicos degens *Soto*:
ego liberius, qui Augustanorum castra sequor, quæsitum negabo;
imprimis cum nec jus naturæ aut gentium, imò nec divinum,
canonicum aut civile Justinianeum mihi hâc in parte contradi-
cant. Nec quicquam facit *cap. cum tu. 5. X. de usurpat.* quod
pro priori *Lessii & de Valentia* asserto supra adduxi, quum illud
loquatur de rebus malè partis, dum usurariam pecuniam & si-
moniacam adjudicat pauperibus; jam verò omnibus notissi-
mum est, inventionem non esse iniquam acquisitionem, sed lici-
tam; debitumque, quod hîc pauperes prætendunt, non fluere ex
justo particulari, sicuti quod mutuato aut credito accepisti, sed
universali, quod tamen charitati à se ipsâ incipere nunquam
prohibebit. Atque hæc *Soti* opinio videtur magis applicabilis
ad mores Saxonicos, qui pecuniam involuntariè deperditam, vel
furi

furi aut latroni ereptam in alieno vel publico loco, inventori attribuantur pro una parte tertia, reliquas duas tertias proprietario relinquentes. Si modo (1.) dominus pecunie fuerit extraneus seu forensis, *Land. R. lib. 2. art. 37. verb. Ist aber jener aus einem andern Gericht / 20.* (2.) Inventor statim post inventionem intra spatium 6. septimanarum publice per præconem aut libellum valvis Curie, aliove loco, ubi frequenter homines solent conversari, affixum, inventionem indicaverit, & se rem inventam domino vero restitutum promiserit; aliàs suspicionem & poenam furti à se vix declinabit. Cæterum si post præterlapsas 6. septimanas & processum, ut jam monitum, peractum dominus verus non comparuerit repetiturus rem inventam, iudex, jurisdictionem altam Imperiumq; merum possidens, eam sibi retinere, ac in usum suum convertere potest, ita tamen, ut inventori tertiam ejus partem attribuat. Quâ de re latius videri potest cum aliis citatis *Dd. Practicis Carpz. Prax. Crim. p. 2. quest. 86, num. 5. & seq.* Obiter duo solum hinc moneo, ex *tom. 8. concl. 298. & 299. num. 1. & seqq. pag. 179. Domin. Cardinal. Tusch.* primum quidem: Thesaurariam & Cantoriam de Jure Communi non esse dignitates, si non habeant prærogativam Jurisdictionis super alios, *Gem. Conf. 101. in princ. & Conf. 140. Abb. Conf. 93. in princ. lib. 2.* nisi consuetudo induxerit, quod Thesauraria & Cantoria, licet non habeant prærogativam Jurisdictionis, tamen sint dignitates, *Gem. d. l.* Alterum esto: Officium Thesaurarii Concilii vel Sedis Apostolicæ esse, pecunias Camerae solvendas recipere & computum plenum de iis reddere, *l. 1. C. de Canon. Larg. lib. 10.* & ideò non posse absolvi excommunicatum pro debito Camerali, etiamsi solvit, *Rom. Conf. 387, num. 3.* Sed hæc propriè hujus loci non sunt.

Thef. X.

Jam ad *Causas* me accingo, æquæ partim externæ, partim internæ sunt. Inter *externas* eminent *efficiens*, de quâ ita philosophatur *Bitsch. S. 43.* ipsius, inquit, thesauri efficiens causa est partim ipse homo deponens: partim vetustas temporis, memoriam depositionis obliterans. Cum enim ab homine, sive custo-

C 2

diæ,

diæ, lucri, præfidiive gratiâ ; sive etiam avaritiæ & invidiæ causâ
(*de quo infra in c. 7. §. 113. & sequ. p. 77.*) pecunia sub terram con-
ditur : etsi tum nondum thesaurus est in propriissimâ significatio-
ne, quæ hujus loci est ; tamen cum, ipso non refodiente, nec aliis,
ut refodiant, indicante (*Plant. in Aul. prol.*) tamdiu conditus re-
linquitur, ut, à quo reconditus sit, ac proinde ad quem jure he-
reditario pertineat, ignoretur, thesaurus strictè & κατ' ἐξοχὴν
dictus efficitur. *Hec Bitsch.* Ego, salvo hujus Jcti respectu,
arbitrarer, deponentem ut plurimum modò instrumentaliter
imò accidentariè (potest enim aliâ quoque ratione pecunia fieri
latens pariter & abscondita) sese habere, *solanq̄, temporis diu-
turnitatem, cujus memoria non extat, veram unicamq̄, thesauri cau-
sam efficientem esse.* Regulariter namque deponens rerum sua-
rum saltem custodiam intendit, non verò, ut sibi suisque, ex
post facto quasi, dominium rei custoditæ labatur, quod sæpe,
aliâ necessitate compulsus, præter omnem spem & opinionem
derelinquere, adeoque perdere eventualiter, cogitur. Nisi
fortè dixeris, ipsum pecuniarum dominum adeò fuisse (quod ta-
men de nemine præsumitur ordinariè) rerum suarum prodigum
administratorem & arbitrum, ut illa statum ab initio neglectui
æque ac pro derelictis habere voluerit condonareque primo oc-
cupanti. Verum nec tunc *ab initio formaliter sic dictum* thesau-
rum ipsum fecisse constat, quin potius (quousque penes depo-
nentem suosque heredes depositionis, abjectionis & derelictio-
nis memoria residet) bonum quoddam domino vacans, quod
cum illo in effectu demum particulari, & salvâ dispositione Im-
peratoris in *t. t. C. de Bon. Vacant.* coincidit.

Thef. XI.

Causa finalis difficilior erit inventu, prouti nec ipse *Bit-
schius* diffitetur, quare ad ejusdem extructionem *partim remotivè*
agit in §. 114. textusque Juris, mox ante §. 113. allegatos, iterum
seponit; *partim assertivè* per distinctionem, finem thesauri con-
stituendo §. 115. *aliud* intermedium, *aliud* ultimum. Noli
malè habere, Lect. Ben. si, ad meam & *Bitschii* opinionem ac-
curatius trutinandam & dijudicandam, ipsissimo *Bitschiano* usus
fuero

fuero contextu. *Intermedius thesauri* (innuit Ille §. 116.) finis
 est custodia, *d. l. 31. §. 1. & d. l. 44. pr.* eaque plerumque perpe-
 tua, *d. l. 39. §. 1.* sicut in genere, quod deponitur, custodiendum
 datur, *l. 1. pr. ff. depos.* aut homini sc. aut loco, *Livius lib. 39. supr.*
th. 27. 29. Quem finem omnes omninò atque illi ipsi videntur
 habere propositum, qui pecuniam & liberis, & propinquis, &
 in genere omnibus hominibus, atque, ut Leo Philosophus in-
 quit, Solis radiis invident: Sicut Euclyonis avus thesaurum au-
 ri, quem in medio foco defossum, & Lari concreditum, sibi ser-
 vari voluit. *Plautus in prolog. Aulul.* & Euclio, qui avo similis,
 id aurum pariter invidebat suis, ac proinde quam sollicitissimè
 condiderat, saluum tamen id & servatum volebat, *ibid. per tot.*
 atque etiam, cum in Fidei fano deponeret, ajebat: vide, Fides,
 etiam atque etiam nunc salvam, ut aulam abs te auferam: Tuæ
 fidei credidi aurum, &c. *Act. 4. Sc. 2. sed & Act. 4. sc. 9.* profite-
 tur, se id aurum custodivisse sedulò. Imò tantum abest, ut hi
 abdicandi & amittendi animo defodiant; ut potius cor suum
 & spem suam unà infodiant, *Matth. VI. v. 21. Luc. XII. v. 34.*
Salvian. lib. 1. contr. Avarit. Basil. Magnus in lib. de divitiis &
paupertate, relatus à Cunrad. Rittershusio in Comment. ad Salv.
d. loc. Magis verò in enarratione finis ultimi variasse videtur pro-
 lixior *Bitsch. in seq. §. 117.* cum, multorum diversas opiniones in-
 ducendo, ita demum concludit: *ultimus finis* (thesauri) non
 apud omnes idem, sed apud diversos diversus est. *Alii* enim
 pecuniam (quæ postea thesaurus propriissimè dictus fit) lucri
 causâ sub terrâ condunt, *d. l. 31.* quod *Dn. Gottofredus* exponit
 de mutatione valoris numorum: si qui avari suas pecunias ita
 deponant, interim dum expectanti num, precium augeri *in not.*
ibid. id quod ab illius temporis moribus non omninò abhorret.
 Etsi enim longè constantior fuit apud Romanos numorum æsti-
 matio, quàm apud nos hodiè; tamen nonnunquam etiam cre-
 vit ac decrevit, *l. 2. & 3. C. de Vet. numism. potest. lib. II.* *Lagna*
in Meth. Jur. Civ. part. 2. cap. 28. num. 3. de frumento id inter-
 pretatur, atque hujus depositionis causa impulsiva est avaritiâ.
 Quò pertinet illud *Seneca lib. 3. de Irâ, cap. 33.* Si in medium
 projicias, quicquid thesauri tegunt, avaritiâ iterum sub terram

referente, quæ malè egerat. *Alii* verò deponunt necessitatis & præsidii causâ, ut si fortè rerum aliarum jacturam faciant, hæc pecunia ipsis subsidio sit, *d. l. 79. §. 1. de leg. 3.* Veluti in bellis civilibus, *ibid.* vel ob tumultum hostilem, *Donat. ad Terent. in Prolog. Eunnuch.* atque hoc est, quod in *d. l. 31. §. 1.* dicitur *metus causâ*: h. e. ex metu, tanquam causâ impellente; sed propter præsidium & usum pecuniæ, tanquam finem. Unde in *Reformat. Noribergensi tit. 25. leg. 1. §.* Und nach dem / dicitur, dass einer in Kriegen / Lufften / aus Furcht / oder sonst / umb besserer Sicherheit willen / Geld oder anders vergräbet / &c. *Alii* verò deponunt, coërcendi prodigalitatem suorum, eosque ad frugem revocandi ergo; ut apud Menandrum in *Comediâ Thesaurus*, senex ille, prodigi adolescentis pater, qui, thesauro clam in sepulchrum defosso, caverat, ut post annum decimum filius sibi inferret epulas: eo fine, ut thesaurum cum epistolâ ibidem inveniret, *Donat. d. loc.* (cujus quoque ex *Dempstero* mentio in *th. 6. huj. Dissert.* facta fuit) *Aliis* finis ultimus non *χρησις*, sed ipsa *κλήσις* est: ut avaris: qui vel ideò custodiunt, ut custodiant: & non tam, ut habeant, quàm ne non habeant; vel potius, ut habeantur ab ipso, quippe qui divitias habent, sicut habere dicimur febrem, cum illa nos habeat, *Senec. Ep. 119.* quomodò ille, qui cum infano pecuniarum studio in extremis laboraret, multos nummos aureos deglutivit, ac deinde mortuus est, *Athen. l. 4. cap. 18.* Ex invidiâ etiam *alii* sic deponunt, ut, cum ipsi eas pecunias habere non possint, etiam nemo alius iisdem gaudeat & fruatur: sicut etiam apud vivos sepulta sunt, quæ tenacium manibus includuntur, &c. *Et paulò post, pergit Bitsch. pag. 80.* *Alii* denique pompæ & ostentationis causâ, vel certè religionis opinione; ut qui ornamenta cum corporibus suis condi volunt: quod homines simpliciores faciunt, ait *Ulpian. l. 14. §. 6. ff. de relig.* ut ille, qui inferri sibi (in monumentum scil.) voluit, quæcunque sepulturæ suæ causâ ferret ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex smaragdis, *l. ult. §. fin. de aur. arg.* & ille, qui moriturus in sago aurum confuit, eoque indui, atque ita inductus sepeliri, neque uri voluit apud *Athen. d. lib. 4. cap. 18. &c.* Hæc ita de Thesauri
fine

sine duplici ex aliis congeffit *Bitschius*, quæ speciosa esse nemo de
facili diffitebitur: verum, quod pace omnium dixerim, mihi mi-
nimè satisfaciunt, qui jam ante constanter negavi, *deponentem*,
ut talem & per se, thesaurum facere posse; sed solum per mo-
dum instrumenti, aut, si mavis, causæ sine qua non, sæpius se ha-
bere. Factus quippe sive conflatus thesaurus est, ex consuetudi-
ne ferè populorum communi Jureque Gentium *tacito*, per la-
psum temporis, cujus memoria non extat; quare etiam, cum
nullum Jus sine fine esse valeat, videtur ex illis ipsis Gentium
moribus simul fluere *causa finalis*, ne scilicet rerum dominia sint
in incerto; id quod, si seret, in statu *indigentia* ordo mortalita-
tis non parum turbaretur, bellorumq; quotidianæ captationes,
absq; ullâ spe firmæ pacis simul & tranquillitatis, cum omnium
bonorum gemitu in infinitum prostant. Habebis igitur ex eo
thesaurum fortunæ donum, quo non indigniffes, si in statu *intre-
gritatis* quilibet suam domini partem in posteros semper deri-
vare potuiffet. Atque hoc modo collimabunt, quæ postmo-
dum in §. 118. & sequ. de thesauri inventione *Bitschius* continuare
sategit.

Thef. XII.

Materia ex quâ thesauri generali nomine pecunia dicitur,
quâ, quid denotetur, constat ex *thes. 5. & seqq.* nimirum omne
mobile pretiosum, ita depositum aut derelictum, ut ejus memoria
non habeatur. An verò nomina & jura quoque cum actioni-
bus sub iisdem comprehendi debeant, dubitatur? Ego nega-
rem, non quidem ex eo præcisè fundamento, ut *Bitsch. §. 26.*
putat, quasi rerum incorporalium dominium non detur, cum
hoc probabiliter defendi queat ex *arg. l. 52. de A. R. D. l. 49. de*
V. S. (nisi vocabulum domini strictè sumere velis, quatenus
aliis juris in re speciebus opponitur in *l. 13. pr. C. de Judic. l. 19.*
pr. de damn. infect. quò fortè respexit *Bitsch.*) sed quia (1.) jura,
nomina & actiones videntur per tempus immemoriale (secun-
dum observantiam fori nostri) mortua aut mortificata. (2.) Po-
sito, quod adhuc viverent, non tamen tunc representare possent
speciem thesauri: quoniam ex eorum tenore aut constare posset,
cui

cui & contra quem competere deberent, & planè, cum memoria extaret rei gestæ, ad hæredes competentes perinde, ut aliud aliquod inventum, de quo *thes. 7. & seqq.* transfirent: *aut* nesciretur, quis (α) fuerit dominus, licet rei hæredes adhuc adsint, & tunc exactio effectu carebit, cum inventor nullum jus cessum prætere valedere valeat; *aut* se aliter in puncto sui petiti sufficienter habilitare, sed hæredes debitoris ipso facto creditoris, qui jam ignoratur, censeantur liberati: (β) quis fuerit debitor, & actio similiter ex naturâ correlatorum & hætenus traditis iudicabitur in totum extincta. Porro per vocabulum *pecuniæ* exclusas volo res immobiles; sed itidem rursus minimè ex fundamento *Bitschiano pag. 20. loc. cit.* quasi res immobilis planè non possit deponi (ut ut sciam multos dari, qui cum ipso faciunt, *vid. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 21. thes. 35. Zæf. h. t. num. 1.* quibus tamen oppono tradita *Eckolt. adh. t. §. 3. Franzk. adh. t. num. 6. & seqq. aliosq. ibid. cit. Dd.*) Sed quia non, ut natura thesauri desiderat, potest deponi, contrectari & commodè de loco in locum, transferri & abscondi, in quo etiam posteriori prædictus Autor mecum conspirat. Judicandum denique ex his, quid statuendum de opinione eorum, qui instrumenta nomine pecuniæ venire negant, *vid. thes. in fin. & Matth. de Afflict. ad Constit. Neapolit. lib. 1. rubr. 59. de off. Secret. constit. 1. num. 1.* Quod si enim intelligere velint documenta, jura, &c. res ex supradictis erit in aprico; ubi verò intendunt quævis aliæ mobilia & corporalia, pretiosa pecuniæ opponere & à naturâ thesauri excludere, ipsamet hætenus satis per causas primarias excussa definitio contrarium cuique manifestabit. An thesaurus in certâ quantitate consistere debeat, & quænam ista determinata quantitas sit, hîc supervacuum arbitror multis deducere; cum in aprico positum credam, quod in hoc themate morali multum conducatur definitio viri prudentis, qui pro suâ rerum sufficientiâ & raritate totum, tam ut pauper, quàm ut dives, negotium æstimabit. *Materia in quâ, sive subjectum (ex quâ vocat Bitsch. §. 89. ubi tamen vitium modò typographicum subesse suspicor)* est locus ubi thesaurus est positus, qualiscunque tandem ille fuerit, sive in commercio, sive extra illud, positus, sive subterraneus, sive non, perinde

inde erit; attendatur saltem diversa sibi eundem applicandi ratio, de qua in *l. seqq.* Elegantem in hoc se præbuit *Bitsch. §. 90.* Nec enim propterea pecunia, juxta Eundem, non per modum thesauri inventa dicetur, si reperiatur murata in muro, ut loquitur *Bald. in l. 67. ff. de R. V.* quem sequitur *Jason. in lib. 3. §. Neratius. num. 7. & 8. ff. de Acqv. Poss.* aut in angulo domus, *Zaf. ad l. c. 3. num. 17.* aut in parietis foramine, *Alciat. 7. parerg. 1. ex Joh. Plat. & Angel. Aretin. ad d. l. 67.* aut in pilâ, rotâ, vel mole ceræ, *Jason. loc. cit. num. 7. Zaf. loc. cit. num. 16. Raph. Cuman. & Duaren. in d. §. Neratius. Schneidew. in §. thesauros. num. 4.* aut in pice, *Petr. Arod. lib. 4. rer. judicat. tit. 7. cap. 1.* aut jacens in nemore, *Jaf. in l. rem quæ nobis. 15. num. 29. de Acqv. poss. Rip. ibid. n. 38. Alvarott. ad c. un. quæ sint regal. n. 9.* quandoquidem non ex loco aut subjecto, in quo pecunia recondita reperitur, æstimandus thesaurus est; sed ex depositione & vetustate temporis, sive ex immemoriâ depositionis. Nisi quod ex qualitate loci & subjecti conjecturæ capi possint, an pecunia illa sit nuper deposita, an verò, propter temporisimmemoriam decursum, deperdita.

Thef. XIII.

Formam thesauri in ipsâ conditurâ actuali & depositione sive abjectione pecuniæ, cujus memoria non extat, positam reor; sed ita tamen, ut simul arbitrer, non absolutè necessarium esse, ut animo separatim condendi, occultandi, &c. id fiat; uti putat *Bitsch. in §. 93. in fin. & §. 94.* Sufficit namque mihi inveniri rem mobilem aliquam pretiosam, quæ probabiliter olim alicujus domini esse potuit, cujus tamen nunc memoria ignoratur. Hinc dubito, an ex mente allegati *JC.* excludi possint (1.) res ex, quæ custodiendæ alicui datæ sunt, (2.) pecunia sive res perditæ (3.) res sive necessitatis aut salutis causâ jactæ, sive relinquendi & repudiandi animo abjectæ, *posito*, ut *Ille* revera ponit, *quod temporis immemorialis antiquitas & ignoratio domini concurrant*, à verâ & propriè sic dictâ thesauri naturâ. Uno verbo, latet æquivocatio in voce *depositi*, quod *Bitsch. h. l.* nimis strictè & civiliter interpretatus est: Multi, ut *Barbos. Lusitan. in*

D

l. 8.

l. 8. §. si fundum. ff. solut. matrimon. ex Francisc. Bursat. lib. 2. con-
sil. 209. num. 1. & Angel. Aretin. ad l. 67. de R. V. Zas. in lib. 3.
§. Neratius. de A. P. num. 2. item quos citant Arum. Decis. 1. l. 1.
num. 15. & seq. Dian. Tract. IV. Tom. VI. Resol. 2. §. 4. Gutierrez.
part. 3. de Tutel. cap. 26. num. 3. Giphon. ad l. 31. §. thesaurum. n. 9.
de A. P. duo copulativè requirunt, primò, quod non extet me-
moriam temporis, in quo thesaurus fuit reconditus; secundo,
quod ignoretur, quis sit illius dominus. Verumenimverò prius
alii sufficere credunt, cum illud posterius necessariò sub se com-
prehendat. Quoniam de cujuscunque inventæ rei depositio-
ne propter immemoriam tempus non constat, illius dominus quoq;
ignoratur: comprehenditur quippe dominus, aliterque concipi
nequit, nisi sub & in tempore. Utraque opinio suo poterit ta-
lo stare: Prior quidem, quando existat memoria pecuniariæ po-
sitionis aut condituræ generalis, quæ ex nummorum sculpturâ,
effigie, cufione, &c. elici poterit, non verò specialis; tunc, ut
thesaurus plenariè suam formam obtineat, videtur requiri, ut in-
simul dominus nesciatur. Posterior, quando nec generaliter,
nec specialiter de amissione dominii pecuniarum, ratione tem-
poris, quid doceri potest, v. g. si catenæ aureæ, monilia, &c.
absque signaturâ artificis, anni, &c. reperiantur. Tunc quippe
valet argumentum ab eâdem inductum. Alioquin verba Dia-
ne loc. cit. §. 5. pag. 292. quæ aliàs contraria viderentur, sic ex-
plicarem. Quod si pecunia inventa eâ formâ sit excussa, ut ex
illâ constet recentis esse memoriæ (h. e. nondum spacium cen-
tum annorum præterlapsum, quod in favorabilibus, uti hîc in
thesauro, qui fortunæ donum Dei que beneficium, intuitu in-
ventoris, vocatur, vid. thes. 4. huj. Dissertat. immemoriali tem-
pori communiter æquipollet, juxta Sichard. ad Tit. C. Vectigal.
nov. instit. non poss. num. 6. Hahn. Observ. in Wesenbec. tit. de Usurp.
& usucap. num. 7. Johan. Franc. Balb. de præscript. part. 2. tert.
princ. quæst. 6. num. 24. utut aliàs formaliter inter se differant.
Matth. Steph. lib. 2. p. 1. cap. 7. num. 145. seq. Carpzov. part. 2.
constit. 1. def. 7.) non censebitur thesaurus, neque inventori
(tametsi dominus ignoretur) concedetur, l. à Tutore. 67. ff. de
Rei Vindic. l. Thesaurus. ff. ad exhib. & ibi gloss. 1. l. si uxori. §. Cum
ita.

ita. ff. de aur. & argent. leg. tradunt *Andreas Sicul. cons. 30. num. 1. lib. 4. Alciatus lib. 7. parerg. jur. cap. 1. Forcat. dial. 56. num. 4. Joan. Gars. de Expens. & melior. cap. 22. num. 56. vers. Postremo.* Quod si verò non extet memoria absconsionis thesauri (centumque ad minimum anni nondum fuerint præterlapsi) & tunc ex syngraphâ, vel instrumento simul incluso, constet de eo, qui abscondit, nec censebitur thesaurus, & consequenter non acquiratur emtori, sed potius hæredibus abscondentis tradetur, nullaque eis opponi poterit præscriptio: his verò non apparentibus, fiscus tanquam bona vacantia occupabit, *l. 1. & penult. C. de bon. vac. lib. 10.* Unde pecunia inventa semper præsumitur esse certi alicujus hominis, antequam constat de requisitis necessariis ad constituendum thesaurum, *Bald. in l. 1. post princ. ff. de rerum divis.* Inventori igitur incumbit onus probandi, non extare memoriam temporis, quo fuit abscondita pecunia; quo probato, dicenti illam pecuniam esse suam, vel absconditam à majoribus suis, incumbit onus probandi, ut cum aliis docet *Barbos. in l. divortio. 8. §. si fundum. ff. solut. matrim. num. 26. Vid. Amayam, in C. lib. 10. tit. 15. num. 5. & seq.* qui asserit, se arbitrari advertendum esse ad qualitatem pecuniæ, videlicet utrum sit antiqua, an verò nova; vel etiam antiquæ sit admixta nova, quæ vel à 10. vel 20. vel 30. vel 40. annis citra fuit formata: quia de necessitate concludetur, non esse propriè thesaurum, secus si ibi esset pecunia sola; quæ fuisset formata tam antiquo tempore, cujus non claret memoria. Et consuluit *Guidius tr. de minera. lib. 1. 3. lib. 10. num. 49.* quod quædam pecunia quæ fuit in quâdam domo reperta in oppido S. Miniati, non dicatur thesaurus: quia inter ipsam erant quidam floreni aurei, cum imagine & subscriptione *Dom. Joan. de Bentivoliis de Bononiâ*, formati ab annis quadraginta citra; *add. Guttierix. Tr. de tutel. part. cap. 25. num. 2. & seqq. item Dian. l. c. resol. 4. 5. 6. in fin.*

Thef. XIV.

Quod modum *Thesaurum acquirendi* attinet, eum in occupatione rei inventæ & per præsumtam humanam derelictionem nullius effectæ ponimus. Non quidem, ut rem statuamus redire

D 2

ad

ad sua principia naturaliter communia, ea scilicet, quæ sui natura inter homines nullum dominum specialem agnoscunt, primoque occupanti quodlibet apprehensum cedere volunt, & nulla unquam, ex intentione Divinâ, ab initio fuerunt; Sed potius, ut ex his adstruamus, primam *dominii concessionem* à primâ *concessi dominii distinctione* probè separandam esse. Nescimus enim, in quot partes hoc in negotio inter se abeant DD. Alii quippe cum *Justino l. 43. c. 1.* quem sequuntur cum *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 2.* non pauci, omnia ab initio communia fuisse fingunt, & indivisa omnibus, veluti unum cunctis extitisset patrimonium. Alii cum *Dn. Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. lib. 4. cap. 4. §. 5.* de *Dicastill. de J. & J. lib. 2. Tract. 1. Disp. 4. n. 8. p. 12.* & *Dd. quos vid. ap. Magn. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 1. num. 1.* communionem, non quidem positivam, sed negativam (id est, res omnes fuisse in medio positas, & non magis ad hunc, quàm ad illum pertinuisse) asserunt. Neutrum nobis, nunquam tamen repudiata melius sentientium informatione, apodicticè placet. Primus quippe homo, ex vi Divinæ concessionis, *Gen. 1.* quæ repetita Noacho fuit post diluvium, *Genes. IX.* tanquam absolutæ donationis titulo omnia sublunaria sua fecit; ita quidem, ut non tantum omnes alios homines, si qui vixissent, sed etiam liberos suos, quamdiu familiâ patris continerentur, intuitu primi ejusdemque ab æterno à DEO (dum unum saltem par hominum, quò consanguinitas, eamque insequens affectio, inter posteros eorum major esset, procreare libuit) procedentis decreti, à possessione mundanâ exclusisset. Nisi, si qua assignatione aliquid proprii, & ut Romano more appellemus cum *Dn. Strauch. de Imperio Maris, cap. 1. §. 9.* peculia Adamus eis permisisse, & demum post emancipationem mortemvè ejus, divisisset inter se rebus, fratres ei successisse, statuere velimus cum *Selden. de Dominio Maris, lib. 1. cap. 4. p. m. 21.* Nec obstat, quod inter alia (1.) urgent dissentientes, Adamum dono accepisse orbem terrarum, non ut hominem singularem, sed ut totum genus humanum representantem. Quia nihilominus hoc quoque modo dominus terræ solus evasisset, non solum vi Imperii Regii, quod exercere poterat in omnes à se progenitos, sed etiam

etiam vi domini in specie sic dicti, ex singulari scil. privilegio, cum id omne, quod vellet, attribuere sibi posset, & filiis suis vivus non magis esset ad concedendam proprietatis particulam adstrictus (de iis, aliud dicendum erat, quæ victum & amictum concernebant) quàm alius quidam inter privatos jure fidei commissi ad liberos & posteros post mortem suam pertinente gravatus, qui propterea, dum adhuc vivit, dominus hujuscemodi bonorum esse nequicquam desinit. Nec (2.) aliquid huc confert, quod Adamus res illas revera & corpore possidere non potuerit; possidebat enim utique, licet non *civiliter*, attamen *naturaliter*, & quod isti naturali possessioni deerat, id implebat animus. Non minus siquidem mente & cogitatione, quam corpore, possessionem adipiscimur; Ita ut qui fundum possidere velit, non opus habeat omnes glebas circumambulare, sed sufficiat quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hæc sit, uti totum fundum usque ad terminum possidere velit, l. 3. §. 2. ff. de A. P.

Thef. XV.

*Acquiritur autem Thesaurus naturaliter & ex Jure Gentium ipsi Inventori instar aliarum rerum, quæ nullius sunt, cum, quæ talis, amplius in nullius alterius dominio sit. Quod enim tanto temporis spatio desit possideri, desit etiam in dominio esse, Paul. Laymann. Theol. Moral. lib. 3. Tract. 1. cap. 5. num. 23. atque pro derelicto habeatur, Frantzke. ad §. Thesuros. Instit. de R. D. num. 6. & 7. Leonh. Less. de J. & J. lib. 2. cap. 5. d. 15. num. 58. Johann. de Dicastill. lib. 2. tract. 2. Disp. 9. dub. 15. num. 406. quæ ratio, quia in Thesauro quoque in alieno loco invento militat, sive is locus publicus, sive privatus fuerit, sine dubio is totus inventori & occupatori cedit, Arnis. de Jur. Majest. cap. 6. n. 22. Dices: Quid si possit sciri, à quorum majoribus sit conditus? Respondet Less. loc. cit. non referre, quia, quod tanto temporis spatio desit possideri, desit etiam esse in dominio cujusquam. Quod nos ex statuto quidem præscriptionum certarum temporibus introductis, intra quæ res sepulta præsumi debet derelicta, verum *civiliter* esse posse credimus; *naturaliter* non item, imò*

ne quidem de Jure Justiniano & Feudali, *Nebelkr. decis. 9. pag. m. 112.* Ubicunque enim est Thesaurus, ibi pecuniæ depositæ non extare debet memoria, *Molin. de J. & J. tom. 1. tract. 2. disp. 53. p. m. 238. num. 2. Add. l. 31. §. 1. de A. R. D. junct. l. 28. de Probat.* (Hinc agenti ad Thesaurum incumbit probatio, quod tempus immemorabile adit & deponentis non extet memoria, *l. cit. 28. arg. l. actor. 23. C. de Probat. l. 1. l. 4. C. de Edendo l. 2. ff. de Probat. vid. thes. 12. huj. Dissert. in fin. & Dian. Tom. 6. tract. 6. resol. 4. §. 6.* tum si Reus voluerit ac potuerit probare, memoriam extare, utique admittitur, *l. 5. ff. de Probat.* quia habet possessionem Thesauri, ideò prior non probatione gravandus, *Oldendorp. introd. in Class. 3. Act. rubric. de A. R. D. num. 13. pag. m. 261.*) Atqui hic rei depositæ extat memoria: Ergò Thesaurus planè non est. Forsitan *Lessium* decepit tempus longum vel longissimum, item immorabile facere in Jure Civ. dominum privari Jure competente; Sed hoc non soli tempori adscribendum, sed multò magis conjunctæ cum tempore possessioni, qui in Thesauro nondum invento totaliter deest. Cæterum ex quo juxta eosdem *Frantzke & Laymann. loc. cit.* acquisitio hæc Constitutionibus Imperatorum, & in speciè Hadriani, quem Justinianus infecutus est *§. cit. 39.* temperata fuit, secus est; Nempè, quia vel strictâ ratione juris (dum qui primus recondidit, dominium retinuit, *arg. l. 44. ff. de A. P. & illud ad heredes, licet ignorantes transmisit l. 23. h. t.*) Thesaurus sine domino privato; vel si etiam hunc in finem recondiderit, ut ad heredes transire noluerit juxta *Nov. Leonis 51. in princ.* (quum reconditio hujusmodi & pecuniæ quasi sepultura LL. prohibita est, *l. 4. §. 6. ad. L. Jul. Peculat.*) sine domino publico, Principe scil. vel Republ. esse non videtur, quorum dominium privato domino succedit, & pecuniam tanquam commissam sibi vindicat: Inde non absurde Legislatione Civili opus fuit, quæ acquisitionem hanc certis modis declararet. Quare tot distinctiones ortæ inter Thesaurum inventum in loco vel proprio, vel alieno; inter inventum datâ & non datâ operâ: De quibus plura in Thefibus sequentibus. Quod aliàs Plato, cui thesaurum repertum assignaret, perspicere & dijudicare non potuit ac proinde potius voluit,

luit, thesaurum neq³ queri, neq³ si quis in eum fortuito incidisset, loco moveri, sed Deos consuli, quid eo faciendum esset, puto notissimum esse; quemadmodum & illud Apollonii, qui nec ex inventione, nec ex dominio loci jus thesauri aestimavit: sed in vitam contententium inquirendum censuit, ut ei adjudicaretur thesaurus inventus, qui vir melior esset.

Thef. XVI.

Sed tamen, ut revera nobis acquiratur Thesaurus, requiritur, ut illam suffulciat actualis rei depositæ & inventæ apprehensio & locomotio: Non enim solus possidendi animus vel affectus nudusque aspectus sufficere videtur, v. g. Si quis prior Thesaurum viderit, aut lapide vel jaculo (prouti etiam Chalcedensis rem immobilem, puta urbem Acanthum præ Andrio, prætendebat, *Plutarch. quest. Grec. 30. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 8. §. 6. Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. lib. 4. cap. 6. §. 8.*) absque manuali contrectatione corporum, ex quibus Thesaurus constat, petierit. Nec obstat, quod res ista, in quâ Thesaurum positum scimus, jamdudum sit nostra, quò proculdubio respexerunt Neratius & Proculus in *l. 3. §. 3. ff. de A. P.* ex quâ patet, si Thesaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simul atque possidendi affectum habuero: Quia, quod deest naturali possessioni, id animus implet. Verior enim videtur sententia Sabini atque Pauli, statuentium: non aliàs eum, qui scit, Thesaurum possidere, nisi locomoverit; quum tanquam res nullius non sit sub custodiâ nostrâ, *vid. Bitsch. in append. §. 18.* nec dici possit pars fundi aut glebæ. Improbabilior erat Bruti atque Manilii (Mauritium bis vocat *Alexander. de Imola, h. §. num. 1. Manlium Gloss. h. l.*) opinio, qui asseriebant, eum qui fundum longâ possessione captum possidebat, etiam Thesaurum cepisse, quamvis hunc nesciat esse in fundo. Quoniam, qui nescit, non incipit possidere Thesaurum tametsi fundum possideat: Sed etsi sciat, non capiat longâ possessione, quia scit alienum, non suum, esse, *Addat. Nicaf. de Voerd. ad §. Thesauros: num. 7. pag. 105. b. Grot. de J. B. & P. l. 3. cap. 21. §. 28.* Instare possent dissentientes Jcti per Canonem communem, quod possessor

fessor continentis etiam possideat contentum, *arg. l. Clavibus. 74. de Contrah. Emt. & Vendit. l. 1. §. si iusserim. 21. de A. P.* Jam verò possessor fundi est possessor rei continentis Thesaurum. Ergò. Limitari quippe potest major: Possessor continentis est etiam possessor rei in fundo contentæ simpliciter, quo modo se Thesaurus non habet, quia ille in fundo propter immemorabile tempus non amplius præsumitur depositus custodiæ causâ, sicut res, quæ sunt in domum clausæ, quarum possessio apprehendi per apprehensionem clavium in conspectu rei potest, *Paul. de Castr. ad l. 3. §. 3. num. 1. & l. 1. pr. n. 18. de A. P.* Idem intendit *Alex. de Imola ad c. §. 3. Neratius. n. 1. h. t.* qui canonem hunc generalem oppositum verum putat, præterquam in rebus, quæ inventionem quæruntur: Quia si apprehendo possessionem fundi, ad hoc, ut possideam Thesaurum in dicto fundo, oportet Thesaurum invenire & apprehendere. *Add. arg. lib. 31. §. 1. ff. de A. R. D. junct. l. 13. C. de Fidejuss. ex quibus DD. extruunt Axioma: Illud dici inventum, quod est apprehensum.*

Thef. XVII.

Thesaurus igitur in fundo proprio inventus ex jure positivo totus fundi domino cedit, *§. 39. Inst. de R. D.* ubi dicitur: Quod Thesauros, quos quis in suo loco invenerit, divus Hadrianus naturalem æquitatem secutus ei concessit, qui eos invenerit, *add. l. unic. C. de Thesaur.* ubi idem habetur, additâ ratione, ne DEI beneficium invidiosa prosequatur calumnia: Nec interest, an quis fortuito, an datâ operâ eundem aperuerit, modò abfuerint artes illicitæ atque magicæ, *l. unic. C. de Thesaur. ibiq. Francisc. de Amaya.* quæ diaboli sunt imposturæ, sicut & annulus Gygis, *Joh. Oldendorp. introduct. ad Claß. 3. Act. Rubric. de A. R. D. num. 13.* quia illum tunc Camera Imperialis, *Coler. Decis. 100. num. 5.* & habito respectu Jurisdictionis Territorialis, cujusvis Status Imperii Fiscus in pœnam inventori auferunt, & inventor pœna capitali coërcetur, *Harprecht. ad §. thesauros. num. 4. cum Gloss. & Bart. h. l. Johann. Baptist. Cost. tom. 1. tract. de fact. scient. & ignorant. cent. 1. dist. 60. num. 9. Gutierrez. Pract. quæst. 36. l. 4. num. 10. & 12. Garzo. de Expens. cap. 22. num. 52. Tusch. Pract.*

Con-

Conclaf. 300. tom. 3. num. 1. lit. T. Paul. Laymann. Theol. Moral.
lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 23. Nicas. de Voerd. ad S. Thesaurus. n. 6.
Quamvis inventorem non teneri illum tradere, antequam à Ju-
dice compellatur, statuant *Navarr. cap. 17. num. 175. Bonacin.*
Disp. 1. quest. 3. p. 6. num. 6. tom. 2. Less. lib. 2. cap. 5. d. 7. num. 65.
rationem adjicientes, quod lex illa pœnalis sit, & quidem senten-
tiæ ferendæ, non latæ. Nihil enim aliud dicit Imperator in *l. cit.*
unic. quàm se cuique in locis suis tribuere facultatem quærendi
Thesaurum & invento fruendi, dummodò sine sceleratis & pu-
niendis sacrificiis, aut aliâ quâlibet arte LL. odiosâ quærat; In
quibus verbis nullam syllabam habet, quâ illum reverà privet
inventis. Superstitiosa interim sunt, suum que authorem suspe-
ctum satis produnt, quæ tradit *Theophr. Paracels. t. 9. Philos. occult.*
quem citat *Speidel. verb. Schatz. p. 819.* Von den Schätzen
und verborgenem Gutth / inquit ille, in- und unter der Er-
den liegend / ist allhie etwas weniges zu reden / wie die erkennt /
erfahren und überkommen werden / und was sich oft vor Ubel
und Wunder bey denselben zuträgt. Erstlich / euch fürzuhalt-
ten / bey was Zeichen man einen Schatz / unter der Erden ver-
borgen / erfahren kan / auf daß man wisse / und nicht wehne / sol
man Achtung geben / wo sich nächtiger Zeit viel Gespenst se-
hen und hören lassen / und sich etwan sonst viel Ungestümig-
keit zuträgt / die Leute / so zur Nacht darüber gehen / sehr er-
schreckt werden / oder sie sonst eine Furcht ankommt / daß oft
solchen Leuten der kalte Schweiß ausgehet / ihnen alle Haar
(wie man saget) gen Berg stehen. Und sonderlich geschicht
solches an Samstag Nächten / auch / so die Leute mit Lichtern
darüber gehen / lechts ihnen die Lichter auß / als ob ein rechter
Wind drein gienge. So geschichts auch oftmahls / wann
ein verborgener Schatz in einem Hause liegt / läßt sich daselbst
an schweren Nächten viel Gespenst sehen und groß Gerum-
pelhören. Wann nun sich solche Zeichen zu tragen / sehen
und hören lassen / ist gemeiniglich die Ursache / daß allda ein
E Schatz

S hat eingegraben / und verborgen liege / und sol solches kei-
 ner andern Uhrsache zu messen / dann dieser alleine / *ic.*
plura vid. ap. Speid. l.c. An idem dicendum de virgulâ Mercuria-
 li, vulgò **Wünschel-Ruthe**? Negatur; occulta quippe quali-
 tas ligni, quam sæpius expertam habuimus, rem ex naturali prin-
 cipio fluxisse docuit, quam tamen cum libro naturæ inscripta sit,
 ejusdem Curiosus ex professo dijudicandam relinquimus: tametsi
 confitendum, Satanæ mancipia hisce virgulis fraudes suas & sce-
 lera sæpissimè allaborare abscondi, *add. Wierus de Præstig. lib. 5.*
cap. 11. pag. 541. sed rei abusus ordinarium usum propterea non
 tollit. Faciunt hûc suo modo, quæ habet *Casspar. Klock. de Ærar.*
lib. 2. c. 117. n. 29. p. 619. quæ, cum artem magicam à solerti atque
 sagaci conjecturâ distingvant, cum *Scipion. Gentil. Disp. ad c. un.*
q. sint. reg. 8. 196. & Collenut. l. 3. Hist. Neapolit. qui hoc referunt,
 apponam. Inventa est (inquiunt illi) A. C. 1060. in Apuliâ statua
 marmorea; Caput circulo redimita ex aurichalco; cui hæc ver-
 ba inscripta: Kal. Maj. oriente sole aureum caput habebo: quam
 captivus Saracenus artis magicæ peritus Regi Roberto cum ex-
 plicavisset (jussit enim Kal. Maj. observare punctum in plano ter-
 ræ, quod umbra de statuæ capite projecta attingebat) magnum
 thesaurum effossò loco reperit, qui in multis expeditionibus ei
 utilis fuit: Saracenus autem libertate, magnisque præmiis dona-
 tus est. Repetunt hæc *Bitsch. §. III. p. 76. Camer. cent. 1. c. 63. p. 295.*

Thef. XIIIX.

Inventus autem fortuitò in fundo alieno (v. g. à mercena-
 rio conducto, ut in terrâ tuâ fodiat, aliâ, quam Thesauri quæ-
 rendi causâ, *Laymann. l. cit. num. 23.*) dimidius erit inventoris
 & dimidius domini fundi, *ll. cc. Gregor. de Valent. Comment. Theo-*
logic. tom. 3. Disp. 5. quest. 10. punct. 3. pag. 1353. Dom. Sot. de J. & J.
l. 5. quest. 3. art. 3. p. 473. Rationem dat *Wesembec. ad §. Thesaur.*
n. 5. p. m. 340. Quod Jus Civile fingat, inventorem, quia operam
 præstat, esse causam quasi efficientem; dominum verò cum
 rem & agrum communicet, esse causam sine qua non: quare, ut
 in societate, res hic æqualiter proportionem arithmeticâ commu-
 nicatur: Quod fictionis genus κατ' ἀναλογίαν, non tamen ab-
 solutè

solutè toleramus. Aliàs hanc juris positivi dispositionem, præ-
 ter supr alleg. Dd. in foro quoque conscientia servandam pu-
 tant, ante omnem licet judicis sententiam, *Less. l. cit. d. 15. n. 59.*
cum Navarr. l. cit. Thom. de Vio Cajetan. 2. 2. quæst. 66. artic. 5.
ad. 2. Vasq. de Restitut. 5. §. 4. num. 30. Covarruv. Reg. peccatum.
p. 3. §. 2. num. 3. quia non est pœnalis, sed definitiva propieta-
 tis rerum, *Mart. Bonacin. Theol. Mor. tom. 2. disp. 1. de restitut. in*
integr. quæst. 3. punct. 6. num. 3. pag. 641. Quod si datâ operâ
 quæsitus fuerit sine consensu domini, totus domini erit, cum na-
 tura non patiatur, ut aliquid concupiscas ex re alienâ præmedi-
 tato consilio, *Joh. de Dicastill. lib. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 15. n. 407.*
Joh. Oldendorp. Introd. ad Class. 3. Action. rubr. de A. R. D. num. 13.
Perez. ad C. tit. de Thesaur. num. 2. Brunnemann. h. t. num. 3.
Petr. Barbof. ad §. si fundum. 12. l. 7. ff. solut. matrim. num. 10. &
 coërceri debeat vanitas hominum ac cupiditas alienis inhian-
 tium, ansaque præscindi effodiendi agros & alia loca occulta.
 Tametsi hoc posterius *Rebell. q. 115. prælud. sect. 2. & Less. loc. cit.*
 non videatur obligare in conscientia ante sententiam Judicis, sed
 sufficiat, dare dimidiam partem domino fundi, parte alterâ dimi-
 diâ retentâ. A quâ opinione recedit *Ludovic. Molin. de J. & J.*
tom. 1. tract. 2. disp. 56. num. 2. quem nos sequimur, quum inter
 omnes dispallescat, leges humanas, quales & hîc latæ sunt, si
 violentur à quibusdam, eosdem obligare firmiter in conscientia,
vid. Dn. Struv. Ex. 2. th. 13. S. J. C. idque ante omnem monitionem
 judicantis. Et hinc inventor malæ fidei nequicquam tutus esse
 potest, quin peccet mortaliter, dolosumque sibi conciliet rea-
 tum. His adde, quod ista dispositio de Thesauris in alieno loco
 datâ operâ non quærendis fit pœnalis ad puniendam injuriam,
 quam inventor domino loci intulisse videtur, quærendo absque
 ejus consensu in ejus fundo. Idque plausibile evadit ex *l. unic.*
C. de Thesaur. quæ ita se habet: in alienis verò terrulis nemo
 audeat invitis imò nec - volentibus vel ignorantibus dominis
 opes abditas suo nomine perscrutari; quod si nobis super hoc
 aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis te-
 norem in alieno loco Thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc
 locorum domino reddere compellatur. Ubi expendendum di-

cit *Lesß. l. c. verb. Compellatur.* quod indicat, legem esse pœna-
lem, & compulsionem judicis esse expectandam. Sed quid si
dominus consenserit, ut alius quæreret, sciens quid ille quære-
ret? Standum esse volunt pacto *Lesß. l. c. num. 60. Navarr. c. 17.*
num. 172. Dicastill. l. c. num. 408. sin autem nullum sit pactum,
totum Thesaurum inventori cedere debere. Rationem adj-
ciunt, quia tunc videtur illi dominus suam partem condonasse:
nisi fortè inventor certò sciverit, ibi latere Thesaurum & fini-
laverit, se nihil scire; tunc quippe dominus ita deceptus non
censetur condonasse, juxta *Sylvestr. verb. Inventum. q. 3. Bona-*
cin. l. c. num. 4. Dicastill. l. c. num. 408. Dian. tom. 6. tract. 6.
res. 3. num. 2. & 3. Nos (1.) *Lessi* asserto, ubi pactum aliquod
interpositum fuit, naturaliter fidem non detrahimus; quicquid
in contrarium proferant de jure civili *Manz. ad §. thesauros.*
num. 41. Nicas. de Voerd. h. l. num. 5. Schneidew. h. l. num. 8. Brun-
nem. ad l. un. C. de Thesaur. num. 3. Perez. h. l. num. 4. (plura ha-
bet *Excellentiss. Dn. Præses in Curiosis Justinianeis, th. 28.*) Les-
sio tamen (2.) ubi pactum nullum intercessit, adeò absolutè
credere non valemus, quoniam nudus ad quærendum consen-
sus, absque expressâ donandi destinataque intentione, non sta-
tim præsumtionem contra dominum facit factæ condonationis,
sed hoc solummodò importat, ut inventor non videatur adhi-
buisse operam rei alienæ illicitam, adeòque capax fiat, secundum
Jus positivum, dimidiam ex Thesauro partem sibi retinendi.
(3) In limitatione Lessianâ concedimus, dominum ita dece-
ptum totum condonasse non censi, quod ne quidem sciens, ut
jam dictum in priori, præsumtivè concessisset; dimidiam tamen
partem inventori denegare non poterit: quia licet dominum,
ille deceperit, simulando se nescire Thesaurum ibi latentem, ni-
hilominus non invito domino agrum fodiendo, Thesaurum ape-
ruit, sicque minimè rei in jure interdictæ inservivit. Interim,
hîc notare te volumus, (1.) quod inventor nihil, nisi merce-
dem laboris, petere queat, si instrumentaliter tantum ad hoc fûe-
rit adhibitus, ut Thesaurum inquireret, *Gloß. German. num. 2.*
in fin. ad Sax. Land-Recht. l. 1. art. 35. in verb: Sucht aber eis-
ner einen Schatz auf dem Deinen und an deiner Arbeit/
das

Das ist / daß du ihn / den Schatz zu suchen / gemietet ha-
 best / so er ihn findet / ist er ganz dein / so fern du ihn sei-
 ner Arbeit lohnest / und ihn / den Schatz zu graben / ge-
 mietet hast. Denn ob er dir sonst in dem Deinen arbei-
 tet / und allda einen Schatz finde von ungefehr / der ist
 halb dein und halb sein / nemlich / so du ihn / den Schatz
 zu graben / nicht gemietet hast. *arg. l. 63. §. 4. ff. de A. R. D.*
Angel. Aretin. ad §. Thesauros. num. 3. pag. m. 66. Nicas. de
Voerda. (ab infantia triennio per totam suam vitam cæcus Li-
centiatus Theologiae & J. U. D. legitimè promotus, vid. Camerar.
in Hor. succisv. cent. 1. cap. 37.) h. l. num. 4. pag. m. 105. Simili-
ter hic (2.) absit omnis inventio magica & superstitiosa, quæ
Thesaurum in alieno repertum Fisco mancipat, intellige
quoad partem tantum inventoris, non domini fundi, qui ob
maleficium alterius jure suo privari non debet. Less. l. c. dub. 7.
n. 66. Dian. l. c. ref. 14. n. 2. Malder. de Just. tr. 1. c. 7. d. 2. Dicast. l. c.

Thef. XIX.

Non abfimile est dicendum de loco sacro, in quo Jure Ci-
 vili totus inventori attribuitur Thesaurus, modò fortuito inven-
 tus, *§. Thesauros. 39. Inst. de R. D. Gloss. ad cap. si quid invenisti. 14.*
quest. 5. Contrarium tenent ut plurimum Canonistæ, docen-
tes, dimidium deberi Ecclesiæ vel Prælato, quia Ecclesia & Præ-
latus habentur pro domino loci sacri, Covarruv. Reg. peccatum.
part. 3. §. 2. num. 3. si non perpetuò, tamen temporali, Pere-
grin. de Jur. Fisc. l. 4. tom. 2. num. 7. Navarr. l. c. n. 135. Molin.
tract. 2. Disp. 56. num. 5. cum Anton. Gomez. ad l. 45. Taur. n. 52.
Angel. & Sylvester, verb. Inventum. & loca sacra non subsunt
dominis temporalibus, Nicas. de Voerda l. c. num. 8. arg. cap. 5.
super specul. X. de Magistr. Dicastill. loc. c. num. 414. Verius in-
terim putat Less. dub. 16. num. 64. si servetur Constitutio Justi-
niani, qui, etsi optimè noverat conditionem locorum sacrorum
apud Christianos, tamen in suis Institutionibus confirmavit le-
gem Hadriani, cujus est dispositio: Unde, cum Jus Canonicum
ei non derogaverit, videtur esse observanda, addit. Harprecht.
ad §. Thesauros. num. 9. Dian. tom. 6. tract. 6. resol. 12. num. 1.
Ulric. Hunn. in ref. 7. Civ. l. 2. tract. 1. quest. 36. Intelligit autem

hoc *Less.* de locis sacris omninò publicis, quæ in jure dicuntur esse nullius; secus de Monasteriis & similibus, quæ specialis domini jure possidentur. Quid verò, si datâ operâ inventus sit in loco sacro Thesaurus? Dimidium Ecclesiæ cedere asserit *Less. loc. cit.* & dimidium inventori: Quoniam Ecclesia censetur domina hujus loci, unde ei debetur dimidium, *l. unic. C. de Thesaur.* Sed miserum hic Ecclesiæ Patronum se exhibet *Less.* non attendens ad hypothesein juris civilis, ex quâ tamen argumentatur. Constat enim, illum, qui sacra privatâ autoritate fodiendo perveſtigat, versari in manifesto actu illicito, & per hoc adstrictum esse ad id, quod lege prohibente corraſerat, non quoad dimidium, sed integrum restituendum. Hodie tamen communiter Thesaurus, licet non datâ operâ inventus, dimidius ad Ecclesiam & dimidius ad inventorem spectat, *Dn. Struv. Ex. 41. thes. 54. cum Francisc. de Amaya ad l. unic. C. de Thesaur. num. 45. & seq. Wesembec. ad J. Thesauros. lit. m. num. 6. Bonacin. l. c. n. 5.*

Theſ. XX.

Succedit novum judicium de Thesauro invento in loco Principis vel Reipublicæ, v. g. in sylvis, pascuis, agris, domibus, hortis & similibus. Ubi non minus juxta *J. Thesauros. Instit. de R. D. l. 3. J. 10. de Jur. Fisc.* ille dividi debet inter inventorem & Rempublicam, *vid. Martin. Bonacin. Theologia & J. U. D. Com. Palat. & utriusq; signaturæ Referendarius Apostolicus, Theolog. Mor. Tom. 2. Disp. 1. quest. 3. p. 6. num. 3. pag. 461. Dian. tract. 6. ref. 15. n. 1. & 2. p. 301.* Ab his rebus, quæ in dominio Principis & Reipublicæ sunt, distingvit *Lessius l. c. num. 63.* res publicas, quæ scil. sub Principis & Reipublicæ habentur Imperio & dominio Jurisdictionis, sive autoritate disponendi, v. g. flumina, agros, insulas, plateas effossas, vias publicas, &c. in quibus totum Thesaurum inventoris fieri, nihilque interesse *num. 64.* contendit, utrum ibi repertus sit, an de industriâ quæſitus: quia, (inquit ille) locus publicus non censetur alienus, sed communis; distinctio autem illa solùm locum habet in loco alieno. Ast hæc tolerari poterunt naturaliter & de Jure Gentium, minimè tamen concordant cum verbis Imperatoris nostri in sæpè cit. *J. Thesauros.*



ros, & §. si in locis. 10. l. 3. de J. F. in quibus si quis in Fiscali loco, vel Publico, vel Cæsaris Civitatisque Thesaurum invenerit, eum dimidium esse Fisci vel Civitatis statuitur: ubi benè notandum, locum publicum, à loco, qui est in patrimonio Civitatis (scil. in Republ. Politicâ, aliàs ad Principem spectat in Republicâ Monarchicâ) separari quidem, sed tamen, quoad Thesaurum inventum, idem iudicium fieri de rebus, quæ sunt sub Principis & Reipublicæ Imperio simul ac dominio, *jung. M. Anton. Peregr. de J. Fisc. l. 4. T. 2. §. 8.* Præterea falsum est juxta LL. Civiles, in rebus illis, quas *Less.* publicas vocat, distinctionem nullam dari inter inventionem fortuitam & destinatam: Consultâ quippe operâ quæsitus & inventus in viâ publicâ Thesaurus similiter totus pertinet ad Principem vel Civitatem. Non enim magis fas esse credendum est (propter læsionem & deteriorationem boni publici) publica loca effodere & scrutari, quam privata, aliena, *Vinn. ad §. 39. Inst. de R. D. num. 8.* Idem cum *Less.* cornu instant *Covarruv. in c. peccatum. p. 3. §. 2. num. 2. de R. J. in 6to. Layman. lib. 3. Theol. Moral. t. 1. cap. 5. num. 23. vers. alterum. Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 1. §. 1. num. 7. Cyn. & Bald. ad l. 3. ff. de R. D. Alvarott. ad c. unic. que sint Regal. 2. F. 56. col. penult. Filiuc. tr. 31. cap. 6. quest. 11. num. 154.*

Thef. XXI.

In loco Religioso, datâ operâ, requisitus Thesaurus totus fisco cedit, *Anton. Gomez. in l. 45. Taur. num. 52. in fin.* Fortuito verò casu inventus integer ex jure proprietatis noster fit, *§. 39. Instit. de R. D.* Cui asserto gravissimè obstat *l. 3. §. 10. ff. de J. F.* ubi *Callistratus D. Fratres Marc. Anton. Philosophum, & Ælium Severum* constituisse dicit: Si in locis fiscalibus vel publicis, religiosive, aut in monumentis Thesauri reperti fuerint, ut dimidia pars ex his fisco vindicaretur. Pro hâc repugnantia reconciliandâ tot inter se discrepantes Dd. opiniones reperire licet, ut omnes enarrare difficile, excutere verò & dijudicare periculofum, nec tamen conducibile futurum sit. (1.) *Accurs.* ad *l. c. 3. §. 10. verb. vindicaretur.* Glossatorem antiquum Johannem secutus, putat, *Hadrianum. in §. 39.* fuisse secutum naturalem æquitatem, sed *Div. Fratres* civilem auctoritatem & publicam utili-

utilitatem, cuius ratione quandoque derogatur æquitati com-
muni, *Jung. Donell. 4. Comment. 14. Connan. 3. Comment. 4. lit. b.*
Nic. Vigel. ad tit. ff. de R. D. Hottomann. & Joh. Plat. ad §. The-
sauros. num. 75. Barb. ad l. fructus. 7. §. 12. ff. solut. matrim. Gi-
phan. Disp. 9. ad Inst. num. 12. Nicol. à Sal. in Sicil. juris civilis, ad
cit. §. Thesauros. Prosper. Farinac. pr. crim. quest. 104. insp. 1. n. 2.
vel (quod in idem recidit) *l. 3. §. 10.* loqui de Jure Civili, quo
licet sacra (forsitan loca) religiosa sint in bonis DEI, tamen,
quodammodò & in bonis operatoris per Constitutionem homi-
num sunt: Et sic præjudicatur Juri Naturali per Jus Civile,
add. Nicaf. de Voerda, ad §. Thesauros. num. 8. Ostermann. cit.
à Manzio, ad §. alleg. num. 25. Schneidwin. ad hunc §. num. 9.
Sicuti quoque in usucapionibus, *arg. l. 1. ff. de usucap. l. 206. ff.*
de R. J. Jung. l. 8. C. de Judic. Sed hoc modo prævalere dicit
Callistrati responsum Decisioni Justinianæ *Peregr. de Jur. Fisc.*
l. 4. t. 2. num. 6. quem sequitur *Nicol. de Passerib. in Conciliat LL.*
num. 5. pag. m. 665. quod est juxta eos absurdum. Suum enim
fecit Justinianus omne Jctorum tam in *ff.* quam *Instit.* respon-
sum, pari passu imposteriorum valiturum, *arg. l. 2. §. 23. de J. V. E.*
Hinc posito, quod mens Div. Fratrum fuisset, propter utilita-
tem juris quotidiani intentioni naturali derogare, nihilominus
Ille, tanquam supremum in Republicâ caput, ex convenientiâ
boni publici statuere potuit, prouti fecit in §. 39. quod officio
videbatur conforme. Minus conveniens est (2.) altera *Ac-*
cursii & Glossæ ad c. si quid invenisti. 14. qu. 5. conciliatio, inter
Thesaurum in loco religioso datâ operâ & non datâ inventum,
distingvens, *arg. l. 63. ff. de A. R. D. l. unic. C. de Thesaur. l. 7. §. 12.*
in fin. ff. solut. matrim. Expressè siquidem, respectu Thesauri in
loco religioso inventi, huic contradicit in §. 39. *Inst. de R. D.* vo-
cabulum *Fortuito*: cum ex industriâ adinventus, juxta citatum
Peregrin. num. 7. totus Fisco acquiratur, nec inventori pro ullâ
parte cedat, *vid. cap. unic. 2. Feud. 56.* (licet falsò *gloss. in cap. si*
quid invenisti. 14. quest. 5. ad hoc alleget *Nicol. de Passerib. pag.*
m. 666.) His adjiciendum, quod *l. 3. §. 10.* æquiparet loca sa-
cra & religiosa locis Fiscalibus & Cæsaris, *Covarruv. l. c. num. 3.*
Gilken. ad §. Thesauros. num. 17. & tamen constet, sæpè allegato
Pere-

Peregrino teste, Thesaurum in his repertum pro medietate inventori cedere, cum eum fortuito offenderit, Didac. Covarruv. in Reg. cap. peccarum. §. fin. de R. J. in 6to. num. 30. Nec tamen (3.) placet Peregrini aliorumque opinio, qui cum Angel. Aretin. Eguin. Bar. ad §. Thesauros. & Didac. Covarruv. l.c. attendendam putant Justiniani constitutionem posteriorem, utpotè derogatoriam ad Callistrati responsum in locis sacris & religiosis. Quia cum ejusmodi loca in nullius bonis sint, naturali æquitati convenit, Thesaurum, in iis fortuito casu adinventum, inventori cedere, quandoquidem dominus non adsit, cum quo sit facienda divisio. Hæc ille: Ast nulla præsumenda est LL. correctio ff. per Instit. quoniam hæ illorum existunt compendium & abbreviatio non derogans (simul namque promulgata cum Pandectis cernuntur) tanquam Lex posterior priori; nisi expressè locus doceatur. Add. Nicaf. de Voerda. loc. cit.

Thef. XXII.

Alii (4.) pro verbis *Religiosisve* in l. 3. §. 10. ff. de J. F. legere malunt: *Non etiam religiosis. Franc. Zoanet. restit. cap. 27. vid. Gloss. adh. l. Johann. Robert. recept. sentent. l. 1. cap. 5. Anton. Augustin. l. 1. cap. 3. Francisc. Duaren. in l. 7. §. 12. ff. solut. matrim. Alciat. 7. parerg. cap. 7.* Alii (5.) loco verborum in §. *Thesauros. idemq; statuit*: adjiciunt: *Non idem statuit.* Alii (6.) totum istum versiculum: *Idemq; statuit, &c.* usque ad verbum *invenerit.* ad finem §. *Thesauros.* reponunt, *vid. Gregor. Bicc. in reb. quotid. sect. 3. §. 39. lit. p.* Alii (7.) cum *Former. 2. select. 26. in cit. §. Thesauros.* pro *invenerit.* *At si quis. legunt: invenerit, ac si quis.* Ast hisce Lectionibus non tantum variæ Corporis nostri editiones, v. g. Florentina, Haloandri, Russardi, &c. contradicunt, quibus tamen quàm maximè inter JCtos tribuitur fides, sed etiam malè præsumitur LL. correctio, ubi de expressâ mente & genuinâ intentione Imperatoris Justiniani constat. Plures alias easque distinctissimas conciliationes recensent *Manx. ad §. Thesauros. num. 21. & seqq. pag. 321. Nicol. de Passerib. in Conciliat. LL. p. m. 664. & seqq.* quos cum plurimis ibidem allegatis cupidus Lector videre pariter & pro lubitu ponderare potest.

F

Thef.



Thes. XXIII.

Quid si dicamus cum *Carpov. part. 2. C. 53. d. 5. num. 6.*
 imprudentiam Triboniani diversitatem hanc nobis reliquisse?
 Quò etiam collimant *Manz. ad §. Thesaurus. 39. num. 29. & seqq.*
Ant. Matthæi, Disp. 9. §. 46. Cujac. in recit. ad §. 39. & ad l. 3.
§. 10. ff. de J. F. & 9. observat. 37. Eguin. Baro, ad §. Thesaurus. Ni-
col. de Passerib. l. c. num. 29. pag. 674. Ant. Augustin. l. 1. emendat.
Jur. Civ. cap. 3. Duaren. ad l. 7. §. 12. ff. solut. Matrim. Sutholt.
Dissert. 4. aphor. 50. qui omnes uno quasi ore tradunt, hæc duo
 Rescripta adeò contraria & pugnancia esse, ut nullâ ratione con-
 ciliari queant. Varia quippe loca in jure nostro contradicto-
 ria, ex diversorum Jctorum sectis, nobis relicta esse, negare non
 possumus; quamvis enim Imperator Justinianus in *l. 1. §. 8. de*
J. V. E. fanciverit, ut nulla Antinomia aliquem sibi vindicet lo-
 cum, sed sit una concordia, una consequentia, adversario nemi-
 ne constituto, tamen hoc vix obtinere potuit, quòd ipse non infi-
 ciatur in *Constit. Tanta. pr. & §. 14. & 16. de Confirm. Digest.* item
 in *Constit. DEO autore, §. 4. de Concept. Digest. add. Conrad. Lag. in*
method. Jur. Civ. part. 2. cap. 28. num. 5. pag. m. 154. qui constitu-
 tionem hujus schematis ita disputando distrahi dicit, ut nescias,
 quid potissimum sequaris. Interim, cum non facilè in LL. ali-
 qua contradictio præsumenda ex voluntate & intentione Impe-
 ratoris veniat, *Wesemb. ad §. Thesaurus. num. 3.* & nos hâc vice
 eò allaboraturi sumus, ut aliquid pro iisdem dixisse videamur.
 Distingvimus igitur cum *Dn. Struv. Exerc. 41. th. 53. Dn. Strauch.*
Dissert. 6. thes. 32. Bronchorst. Enantioph. cent. 3. assert. 80. Hotto-
mann. & Vinn. ad c. §. Thesaurus. Mejer. in Colleg. Argentorat:
tit. de A. R. D. §. 48. Hunn. in Resolut. lib. 2. t. 1. quest. 36. Lycla-
ma, lib. 3. Membran. eclog. 7. Alciat. lib. 2. parerg. cap. 1. in fin.
Franc. Connan. 3. Comment. 1. l. 3. Bicc. in reb. quotid. sect. 3. n. 39.
lit. b. Schnobel. Disp. 20. §. 9. Pac. 8. Enantioph. quest. 88. Dn. Bech-
mann. Exot. Exercit. 15. p. 2. num. 12. locum religiosum, quod
 alius sit quodammodo *privatus*, veluti quem quisque sibi con-
 stituit illatione mortui in proprium & familiare sepulchrum, in
 cujus fundo Majores sui sepulturæ conditi sunt; Habebant
 enim Veteres sua sepulchra familiaria & hereditaria, *l. 5. & 6. ff.*
de



de Relig. quem *Theaurum*, juxta *Bronchorst. loc. cit.* si quis ibi
 invenit, sibi vindicare potest, tanquam in suo loco fundove re-
 pertum: ita accipiendus est §. 39. Divorum verò fratrum re-
 scriptum de iis locis sacris intelligendum, in quibus est aliquod
 Jus Fisci & quæ publicâ auctoritate sunt constituta, ut sunt tem-
 pla & cæmeteria moribus nostris. In his *Theaurus* pro dimidio
 Fisco cedit, pro alterâ parte inventori; eò quod sacrorum seu
 religiosorum locorum cura ad Principem spectet, l. 1. §. ult. ff. *ne
 quid in loc. sacr.* Non obstat, quod locus religiosus sit res nul-
 lius, §. 7. *Inst. de R. D.* Est enim talis *ratione domini*, est au-
 tem alicujus *ratione juris sepeliendi*: Et hoc respectu quædam reli-
 giosa res videtur posse dici privata ob l. 9. §. 1. ad L. *Ful. Pec.* Tam-
 etsi, ut ingenuè confiteamur (1.) in §. 39. nos iterum non pa-
 rum dubios reddat vocula *Fortuito*. Cur enim, si generaliter
 licitum est, *Theaurum*, datâ operâ non prohibetâ, in loco suo pri-
 vato quærere, *vid. Dd. in thes. 17. cit.* præcisè voluisset Impera-
 tor inventionem in loco religioso privato fortuitam? Respon-
 dent *Hunn. ad §. 39. & Harprecht. h. l. num. 6. Bitsch. l. c. §. 234.*
ibiq; plur. cit. Dd. ne detur hominibus avaris occasio violando-
 rum sepulchrorum, si etiam studiosè quæsitus inventusque
Theaurus cederet inventori. Optimè sanè: sed tamen de ope-
 râ, qualis hæc est, illicitâ nequidem in loco privato profano in-
 telligi se vult Imperator; propterea falsum, *concesso remedio ho-
 nesto* (v. g. si quis aliàs novum cadaver in locum religiosum,
 jamdum in cineres redacto priori ibidem seposito, inferre vel-
 let, & nihilominus ex conjecturis *Theaurum* in eo repositum,
 esse præsumeret) *neminem inquirere posse Theaurum in loco reli-
 gioso, si modo, uti illi volunt* (res namque nullius est & extra pa-
 trimonium) *absque contradictione daretur, proprio & privato.*
 (2.) Locus publicus in l. 3. §. 10. ff. *de F. F.* à loco religioso & fi-
 scali apertè distinguitur in verbis: *Si in locis fiscalibus vel publicis
 religiosive*: ubi nulla, ne minima quidem, fit mentio distinctio-
 nis loci religiosi in publicum & privatum. His adde (3.) quod
 nullibi in toto Jure nostro distincta natura loci religiosi privati
 vel publici, *in quantum scil. religiosus erat*, exponatur, quin po-
 tius ubivis locus religiosus, tanquam res extra commercium po-

ita (nullo habito respectu , an privatus , an publicus fuerit) in genere nullius esse dicatur. Et licet fortean verum sit , ratione uris sepeliendi communes extitisse agros à Republicâ ad id destinatos , distinctos quippe à privatorum juribus & possessionibus ; illi tamen parili , imò eodem , cum privatis jure censebantur religiosi ac nullius , simul ac mortuus esset illatus. Declinat quidem & hoc dubium *Hunnius l. c. num. 2.* nullam in *verb. l. c. 3. §. penult.* fieri putans separationem (oppositionem vocat ille) sed commemorationem potius locorum fiscalium , seu divisionem loci fiscalis in publicum & religiosum , ut sensus *l. c.* hîc sit : *Thesauri , inventi in loco Fiscalis , partem dimidiam esse Fiscis , sive locus Fiscalis sit publicus , sive religiosus.* Ast hanc responsionem merè divinatoriam esse cuilibet perlegenti incurrit in oculum. Nam quis credere velit , locum Fiscalem esse vel publicum vel religiosum ? Citiùs ad hoc persuaderi possiet (*nec tamen undiq³ tutum & beatum*) locum publicum esse vel religiosum vel fiscalem ; Quid ? quod , locum publicum hîc *precisè & inspecie publicum religiosum* , & non alium quemvis ad Rempublicam pertinentem , significare , tam absurdum sit , quàm quod absurdissimum. Manet igitur Antinomia , quanquam omnem in jure tolli Justinianus maximè imperaverit , minimè verò impetraverit. Nimis puerile est (inquit *Vinn. 1. quest. 40.*) credere nullam in corpore Juris reperiri antinomiam , quia Justinianus hoc dixit , aut Tribonianus Justiniano persuasit.

Thef. XXIV.

Hodiernum usum quod attinet , sequitur praxis ut plurimum *l. 3. §. 10. de J. F.* quàm confirmat *c. unic. 2. Feud. 56.* ita , ut Thesaurus , in religiosis quoque locis repertus non datâ operâ , dimidius ad Ecclesiam , dimidius ad inventorem spectet , *Dn. Struv. Ex. 41. thef. 54. Angel. Aretin. ad §. Thesauros. num. 3.* Tametsi hujus rationem depromptam ex *arg. nov. 6. Auth. Quomod. oportet. Episcop. & Cleric. in princ.* non sine causâ refutet *Conrad. Lag. in Method. Jur. Civ. p. 2. cap. 28. num. 5. pag. m. 154.* Quamvis enim , inquit ille , distincta sit potestas Ecclesiastica ab Imperatoriâ , ita , ut neutra alterius jus sibi vendicare possit , tamen

men inde non sequitur, quod ideò Ecclesiæ debeat media pars
Theauri in religioso loco reperti. Nam, sicut *Glossa* ibidem te-
statur, & ratio diversitatis in potestate Ecclesiasticâ & Imperato-
riâ requirit, Jurisdictio rerum temporalium ad Ecclesiasticam
potestatem non pertinet. Ergò contra jus Hadriani Imperato-
ris, quod in *ff. extat*, Ecclesia non potest suâ Jurisdictione præri-
pere fisco mediam partem Theauri in loco religioso reperti. Ma-
gis autem debetur Ecclesiæ, quàm fisco, quia pietas suadet, ut
quod citra cuiusquam injuriam inter sacra esse cæperit, piis usi-
bus dedicetur. Nam pleraque solùm pietatis causâ pro jure
habentur, juxta *Bald. circ. l. 1. C. de SS. Eccles. & priv. ear.* Ca-
nonistarum casus pro amico practicus modernus in hâc materiâ
maximè apparet apud *Johann. de Dicastill. lib. 2. tract. 2. disp. 9.
dub. 15. num. 414. pag. 563.* Respondeo (inquit Ille) inventum
thesaurum in loco religioso (v.g. Ecclesiâ, monasterio, cœmi-
terio, plateâ ante ingressum Ecclesiæ, &c.) secundum dimidiam
partem pertinere ad inventorem, aliam verò dimidiam dandam
esse Prælato, aut illi, cujus est locus sacer. Ita *Navarr.* quem
refert & sequitur *Molina, tract. 2. disp. 56. dub. 5. p. 248.* Quam-
vis *Covarruv. Regul. Peccatum. 3. p. relectionis. §. 2. num. 3.* ex-
istimet, Theaurum inventum in loco sacro, qui in nullius bonis
est, ut in cœmiterio, vel alio loco sacro publico, totum pertinere
ad inventorem; sed magis placet, quod diximus; quia Ecclesiæ
hoc tempore pertinent ad prælatos in hâc parte, quidquid in
contrarium decernatur in *Instit. Justin. de R. D.* Eadem ferè iis-
dem verbis repetiit *Bonacina, de restit. in integr. disp. 1. quest. 3.
punct. 6. num. 5. pag. 461. b.* Sed mitto hæc, saltem coronidis lo-
co in hâc th. visurus, annon in loco religioso per astrologiam
thesaurum quærere liceat? *Thom. Sanchez. Op. Moral. in Præ-
cept. Decal. siv. summ. cas. consc. lib. 2. cap. 38. num. 26. pag. 313.
conclus. fin.* astrologia, inquit, res occultas, sive præteritas, sive
præsentes (ut furtum occultum, thesaurum, virginitatem, &c.)
investigans, est superstitiosa & omni jure interdicta. Quia hæc
per astra sciri nequeunt, secundum *Suarez. t. I. de relig. l. 2. de
superstit. cap. 11. num. 27.* Et paulò post: Imò quamvis certum
esset, posse occultum delictum per astrologiam cognosci, culpa

foret mortalis, id efficere contra justitiam; quia injustè crimen occultum panderetur, ut benè ait *Sotus*, lib. 8. de *Justitiâ*, qu. 3. art. 2. sol. ad 3. vers. *antem*. similiter ait *Navarr. summ. Latin. & Hispan. cap. 11. n. 27. & seq.* esse mortale consulere magos, ut aperiant, *ubi est thesaurus*. Quia ipsi solùm consulto dæmone id scire possunt; addo ergo, idem esse, si consulantur Astrologi ad hoc sciendum: quia similiter solâ dæmonis ope id assequi possunt. *Hæc Sanchez*. Interim scire te velim, L. B. abque astrologiæ beneficio, mediis naturalibus ex loco subterraneo quoque, modò sub dio & in aprico, qualis ut plurimum locus religiosus est, positus fuerit, res nonnullas depositas ibi latere cognosci posse; quò spectat, quod milites, res absconditas incolarum in campis vel agris subactis pervestigando, terræ incumbant & versus solem respiciant, si quæ forsitan loca videre ac reperire queant, quæ rore matutino non sint tectæ, **Darauf kein Thau gefallen**. In illis quippe quærunt, & hæc occasione res metu bellico impositas eximunt: causam hanc naturalem sibi persuadentes, quod loca ista sint nimis concava (licet gramine obducta aut frumento quolibet, quod jam in herbâ videtur, consita fuerint) & terra non habeat vim in illis sustinendi rorem. Verum nec quoad hoc nimium imposterum ero curiosus.

Thef. XXV.

An Thesaurus integer, in loco feudali & emphyteuticario repertus, ad Vasallum & Emphyteutam, an verò ad dominum pertinere debeat, non est juris expediti: Magis enim ex studio partium, quam veritatis, & pro favore, quem quilibet partim vasallo, partim domino debuit, rem decisam invenimus. Negotium, aliorum judicio salvo, per certas explicare regulas conabimur. *Prima* esto: Thesaurus, in fundo feudali à domino inventus, totus domino cedit *Fibig. Ex. 4. Semidec. 9. 5. Dn. Strauch. Ex. ad ff. 6. th. 33. Ludwell. Synops. Feud. cap. 15. pag. m. 303. cum Petr. Gilken. ad Instit. de R. D. in prælud. num. 57. & ad §. 39. n. 29. Bocer. Claß. 4. Disp. 13. thes. 6. & Disp. 3. th. 48.* Thesaurus siquidem non est in fructu, l. 7. *§. si fundum. ff. solut. Matrim.* sed DEI beneficium & fortunæ donum vocatur, uti superius probatum *thes. 4.* separaturque hoc respectu, tanquam res ad partem

tem fundi non pertinens, à fundi fructibus, quos demum Vasallus & Emphyteuta jure domini utilis apprehendunt: Ergò non minus ad dominum directum pertinebit, atque alia quædam accessio extraordinaria ad fundi proprietatem spectans, æque ac propter causas *tam inter vivos*, putà emtionem, permutationem, donationem, *quàm mortis*, v. g. per testamentum, imò quamvis devolutionem gentilitiam & jus expectativum, rei in feudum datæ competens. His adde, quod solùm prædium feudale Vasallo sit in feudum datum à domino, cum omni utilitate fundo immediatè connexâ, non verò Thesaurus, qui cum fundo, secundum LL. positivas, nihil habet commune, sed in totum separatur, ut & alicujus esse desit. Nisi fortean in literis investituræ id expressum, adeoque per speciale pactum hic casus determinatus fuerit: quia tunc res difficultate non indiget, conventionem legem dante contractui, *arg. l. 23. ff. de R. J.* Aliam rationem afferunt *Fibig. l. c. Harprecht. ad S. Thesaurus. 39. num. 23.* videlicet quod ad Vasallum & Emphyteutam utilitas & ususfructus saltem, non verò etiam proprietas, quæ maximè secernit suum ab alieno, spectet, *2. Feud. 23. §. fin. l. 1. §. fin. ff. si ager vectigal.* Hinc argumentum: Thesaurus pertinet ad dominum: Vasallus & Emphyteuta non sunt domini (rejecit enim *Harprecht.* distinctionem domini in directum & utile) Ergò ad eos non pertinet. Sed falsa est minor, & contrarium ex ipsâ naturâ Vasalli dominiqûe utilis elucet; quia Vasallus & Emphyteuta Usufructuario nudo opponuntur, & de dominio, adeoque de proprietate cum domino directo participant, *arg. l. 12. in fin. C. de Fund. Patrimonial.* (quamvis subordinatè & quoad ea saltim, quæ, ex conventionem, prædii fructus eorumqûe consecutionem respiciunt, non quæ extrinsecus eidem accedunt, uti Jurisdictio, Venatio, &c.) unde & Reivindicaciones utiles, quoad ipsum prædium feudale, *2. Feud. 43.* & jus sub infeudandi, iisdem permittuntur, *2. Feud. 34. §. 2.* Quod omne usufructuario, qua tali, in Jure Civili denegatur, quandoquidem illè jure demum cesso uti debet, fitque, respectu actionum ex dominio competentium, procurator solummodò in rem suam. Quare autem Vasalli Thesauro à domino directo reperto non fruuntur, etiamsi domini
utiles

utiles sint, jam antea monitum, quod Thesaurus non sit pars
fundi aut fructuum ex fundo sperandorum, sed ens plane separatum,
tempore concessi Juris feudalis & emphyteutici in considerationem,
utpote specialiter non expressum, non veniens, fereque eandem naturam
obtinens, quam alia quaedam res inventa, & nullius existentes, nisi
singularis positiva Lex hanc determinationem adjecisset, *Berlich. part. 2. concl. 2. num. 59. & 61.*
cum *Specul. lib. 4. part. 3. tit. de Emphyteusi. §. nunc aliqua. 1. n. 158.*
Contrarium asserit *Rosenthal. de Feudis, cap. 5. conclus. 93. num. 3.*
adopinans, si dominus directus in fundo feudali inveniat Thesaurum,
quod ad Vasallum dimidia pars pertineat, tanquam in suo loco repertus
sit, & pro hac opinione allegat *Carol. Molinæum in Consuet. Paris. tit. 1. §. 37. gloss. 10. num. 48.* qui ibi
concludit in terminis fortioribus: Si dominus ex usu Galliaë feudum
ob non petitam Investituram apprehenderit, & interim Thesaurum
inveniat, quod partem mediam statim Vasallo restituere teneatur,
etiamsi feudum nondum reddat. Huic jungere possumus *Alvarott. ad cap. Regaliae. 2. Feud. 56. num. 7. Rittersh. de Feud. l. 2. cap. 2. q. 5. in fin. Niell. Disp. feudal. II. thes. 6. lit. f. arg. §. Thesuros. Navarr. in Manuali, cap. 17. Angel. & Sylvest. verb. Inventum. Alvar. Valasc. de Jur. Emphyteutic. p. 1. q. 15. ibiq; plur. Molin. l. 1. de Jur. Primogenitur. cap. 23. quos ipse etiam citat Ludovic. Molina, de J. & J. tom. 1. tract. 2. Disp. 57. num. 9. Schneidw. ad §. Thesuros. 39. num. 6. & in specie, quoad Emphyteutam, Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. univers. l. 3. c. 11. num. 3. Brunnemann. ad C. de Thesauris, num. 7. Perez. h. t. n. 7. Nicas. de Voerda, Enarr. ad Instit. §. Thesuros. num. 3.* Sed horum opinio de Jure statutorio optime procedit, non verò de Jure civili aut feudali, ex quorum tamen hypothesebus & fundamentis rationes suas concludendi depromserunt, uti haecenus satis fuse demonstratum. Volunt namque illi, ut hoc ad Vasallum & Emphyteutam pertineat, quod eidem est concessum: Sed Thesauri apprehensio, tanquam rei specialis, iisdem non est concessa: Ergo ad eos non pertinet, nec ejusdem domini sunt: Et per consequens in hoc puncto tanquam nudi inventores considerari debent. Tacemus, quod hoc in passu, & habità ad Vasallos

sallos & Emphyteutas reflexione, proprietarius nihil differret ab extraneo, qui in agro alieno Thesaurum invenit, quandoquidem & hic non plus, quàm dimidium Thesauri inventi, tradere domino agri tenetur. Solvere hoc tentat *Valasc. loc. cit.* hâc ratione scil. inter eos differre, quod dominus directus de industriâ possit quærere Thesaurum in suo agro, & ex illo ita invento usurpare sibi dimidium; extraneus verò non item. Veruntamen ita hi duo discrepant inter se & absolutè, non autem, ut nos præsupponimus, respectu Vasalli & Emphyteutæ, de quibus hucusque fuit controversia. Breviter: Vasallo in re, nec expressè nec præsumtivè concessâ, nihil Juris competit.

Thef. XXVI.

Secunda Regula fit: Thesaurus in fundo feudali (idem Juris in emphyteutico) non datâ operâ à Vasallo inventus, pro parte dimidiâ vasallo, pro alterâ dimidiâ domino debetur, *Wissenb. ad ff. part. 2. disp. 18. §. 14. pag. 813.* Ratio ex prioris regulæ enucleatione patet. Sed quid si datâ operâ Vasallus Thesaurum quæsiverit? Totus is domino debetur. At, inquis, Vasallus est dominus utilis; Ergò eidem in suo quærere & fodere licet? Repono, minimè ea, ad quæ dominium ejus se non extendit: Atqui ad Thesaurum, de quo in primâ investitura dominus non cogitaverat, dominium ejus se non extendit: Ergò eundem quærere non licet: hinc proculdubio in ejusdem investigatione operam rei navabit illicitæ. Quid? quod tacitè hic fodiens Feloniam committat, in agris & possessionibus domini investientis damnum dando de facili sæpius non reparabile. Dissentiunt ab hac opinione communiter DD. tam Theoretici, quàm Practici, quos *vid. ap. Bitsch. §. 168. Card. de Lugo, de Just. tom. 1. disp. 6. Sect. II. num. 120. & sequ. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 12. aph. 5. Dn. Fritsch. in addit. ad Arnold. de Reyger. verb. Thesaurus. Oldendorp. introd. ad Class. 3. Action. rubr. de A. R. D. n. 13. Wesemb. ad §. Thesaurus, lit. n. n. 6. Carpz. p. 2. C. 53. d. 6. n. 8. Dn. Lipold. §. 4.* Licet enim, inquit illi, Thesaurus inter fructus prædii non possit numerari, indeque ad maritum, in fundo dotali repertus, non spectet, multò minus ad alium usufructuarium,

G

rium,

rium, l. 7. §. 12. Solut. Matrim. l. 63. §. fin. de A. R. D. Castell. de Usufructu, cap. 37. alia tamen est ratio Vasalli, qui vi utilis domini, perinde ut alius dominus, ut alia emolumenta, ita quoque hanc fortuitam Thesauri accessionem percipit: nec quicquam, inde ad dominum directum venit, Rosenthal. cap. 5. concl. 93. Paul. Christin. decis. Cur. Belg. v. 5. d. 21. num. 19. Franc. Fulgin. de Jur. Emphyt. q. 16. Sed ad nauseam ferè inculcatum fuit, Thesaurum à fundo feudali in totum esse distinctum, nec magis ad eundem civiliter (nam de naturali pertinentiâ docuimus supra thes. 15.) pertinere, quàm res deposita ad facellum; quocirca hisce levibus ulterius non insudabimus. Nec porrò Regulam nostram in fringit sequens argumentum: Si ad Vasallum & Emphyteutam in Corpore nostro Juris spectat venatio, sequitur etiam, quod iisdem competat Thesauri acquisitio. Sed verum est prius. E. & posterius Consequentia majoris probatur: quia feræ sunt res nullius, & non magis ad fundum spectant, quàm Thesaurus. Minor patet ex arg. l. 62. ff. de Usufr. in princ. ubi jus capiendi nudo usufructuario tribuitur. E. multò magis Vasallo & Emphyteutæ, qui jus habent fortius. Respondet (1.) Harprecht. ad §. 39. num. 18. quæ nullius sunt & fundo non cohærent, ut fera animalia, hæc ab usufructuario occupata ipsi tota cedunt: secus est in thesauro, qui terræ visceribus continetur, ut ei loco, ubi absconditus jacet, quasi destinatus sit, neq; ad eum sine variis effossionibus perveniri possit, quas nisi permissu domini facere non licet, add. Henric. Nebelkr. l. 1. decis. 10. Sixtin. de Regalib. lib. 2. cap. 21. num. 50. & seqq. Adjungere possumus (2.) (quia in materiâ conventionali juris positivi versamur) illas demum res nullius ad usufructuarium, vasallum & emphyteutam pertinere, quas occupare in primâ concessione vel expressè vel ex naturâ & qualitatibus locorum probabiliter ipsis est permissum: Inter hæc, (nisi de pacto in specie constet) non censeretur Thesaurus, de quo proprietarius & dominus directus ab initio non cogitaverant. Ergò falsa est consequentia majoris. Quamvis moribus nostri seculi, juxta quos venatio ut plurimum Regalibus accensetur, Feudo & Emphyteusi concessis, ne quidem venatio, si non fuerit literis investituræ in-

finuata,

finuata, concessa præsumatur. Consensit aliàs in corde nobiscum *Diana*, iisdemque & multis adhuc aliis à se corrasis rationibus assertum nostram probavit, tametsi extrinsecus dissentire videatur, fortè ne offenderet Patronum suum *Cardinalem de Lugo*, loc. cit. Sic enim *Dian. resol. 5. §. 4. l. c.* timidè procedit: his tamen non obstantibus, puto, contrariam sententiam Eminentissimi mei *Cardinalis de Lugo* & aliorum esse probabilem, nempe, thesaurum spectare totum ad emphyteutam; sed nostra opinio validissimis firmatur rationibus ab *Henrico Bocero*, tract. de *Regalibus*, c. 3. num. 181. & sequ.

Thef. XXVII.

Tertia Regula ex prioribus resultat: *Thesaurus*, in fundo feudali à tertio non datâ operâ inventus, itidem inter dominum & inventorem dividi debet, *Ludwell. D. 4. thef. 5. lit. f. Paul. Berens. D. 3. th. 2. quest. 3. Hænon. D. 4. th. 24.* Vasallo enim, quoad hoc, nihil debetur juris. Ergò nihil fructus. Novam opinionem fingit *Lessius*, de *J. & J. l. 2. cap. 5. d. 15. num. 61.* Sic enim ille: si fundus habeat duos dominos, nimirum directum & utilem, utri domino dimidium restituendum? Respondeo & dico, quando fundus hoc modo duobus dominis subest, dimidium erit inventoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo est dividendum, tanquam dominos loci. Ex quo sequitur, si dominus utilis (ut Feudatarius & Emphyteuta) inveniat *Thesaurum*, reddet domino directo tantummodò quartam partem, & sibi reservabit alteram partem, quatenus est ejus loci dominus, dimidiam verò, quatenus est inventor, quod est contra *Navarr. c. 17. n. 172.* & quosdam alios. Ratio est, quia idem est inventor, & sic debetur illi dimidium, & est dominus etiam loci ex parte, unde ei debetur altera quarta, &c: Hæc *Lessius*. Eadem est intentio *Rebell. p. 1. lib. 1. qu. 15. sect. 2. n. 16. Martin. Bonacini. tom 2. tract. de restitut. disp. 1. qu. 3. punct. 6. n. 8* quem citat *Dn. Struv. Syntagm. Feud. c. 12 aphor. 5. n. 2. Item Luf. Turrian. disp. 43. dub. 2. num. 10. Dian. l. c. resol. 6. n. 5. Dicastill. de J. & J. lib. 2. tr. 2. D. 9. dub. 15. n. 416.* inventorem scilicet posse sibi retinere dimidium, quatenus est inventor, reliquum vero dimidium

dium dividendum esse inter condominos. Quare si ipse inventor sit condominus, tres partes sibi retinebit, duas, ut inventor, tertiam, ut condominus, redditam quartam alteri condomino. Non absimile, quanquam prolixius, profert *Ludovic. Molin. de J. & J. Tom. 1. Tr. 2. Disp. 56. num. 8. & seq. p. 249.* in hac re, in-
quiens, credo dicendum esse, semper id, quod de Thesauro inventor jure inventionis debetur, tribuendum esse proprietario aut emphyteutæ vel feudatario, qui illum in emphyteutico aut feudali prædio invenerit. Reliquum verò, quod juxta Juris dispositionem debetur domino agri, dividendum esse in proprietarium & feudatarium. Eodemque modo, si extraneus in eo prædio thesaurum inveniat, portionem, quæ ex illo domino prædii debetur, similiter esse dividendam inter utrumque: sicut etiam inter eos dominium prædii divisum est. Ducor ad hoc hoc asserendum. *Primò*, quia datam opinionem *Navarr. & cæterorum*, id postulat æquitas, rei que ipsius natura, ut ex se est manifestum. *Secundò*, quoniam hoc consonat magis *Glossæ* illi receptæ ad *J. Thesaurus*, longeque melior est hæc decisio ejus dubii, quod *Glossula* illa altera circa eam movet, quam decisio *Angeli*, ad quam eadem *Glossula* remittit. *Tertiò* & potissimum, quoniam cum nullum sit jus, unde contrarium colligatur, hoc tamen colligitur à simili ex *l. si is qui. 61. ff. de A. R. D.* ubi traditur, semper dividendum esse, quod ex Thesauro inventor cedit, ab eo, quod cedit domino agri. Eaque ratione ibi definitur, quod si servus, qui à tribus aut quatuor possidetur, casu thesaurum inveniat in loco alieno, dimidium illius sit domini fundi, & alterum dimidium inter servi dominos dividatur in eam proportionem, in quam unusquisque dominium illius habuerit: à simili ergo, qui unus in communi agro cum altero, ut emphyteuta in communi agro sibi cum proprietario, aut è contrario proprietarius in communi agro cum emphyteutâ, thesaurum invenit, medietas, quæ illi jure inventoris cedit perinde, ac si extraneus aliquis eundem Thesaurum in eodem agro invenisset, integra illi, debetur: altera verò medietas, quæ domino agri debetur, inter utrumque, sicut dominium inter utrumque divisum est, dividenda erit. *Ibidem* etiam subjungitur, si commu-
bium

nis ille servus in agro unius illorum thesaurum invenerit, dubium non esse, eam partem, quæ domino agri debetur, ad solum agri dominum pertinere; de reliquâ verò esse solum dubium, an in eo eventu dividenda sit inter plures dominos, an solum pertineat etiam ad dominum agri, propter rationem, quæ ibidem subjungitur, &c. *Hæc Molin.* Ast priores, ex supra negato Vasalli jure in thesaurum, sufficienter repressos credimus; reponentes idem *Molinæ*, qui tamen Sociis suis paulò est absurdior, argumentans à *servo communi*, qui dominis suis acquirit pro eâ parte, quâ ad quemque spectat, sive cuique debetur, ad *inventorem civem Romanum*, sive alium hominem liberum & vasallum pariter ac dominum.

Thef. XXVIII.

Cum jam ante in *thes. præc.* mentio servorum ex allegatis *Molinæ* facta, æquum reor, famosam *l. 63. ff. de A. R. D.* cum sui maximâ ex parte hanc materiam absolvisse inveniatur, pertractare, idque ut commodius fiat, certis conclusionibus rem includam. *Prima esto:* Quod servus domini, in fundo dominico inveniens, totum thesaurum faciat domini; in alieno verò, pro parte dimidiâ. Idem olim erat dicendum de filiofamilias, dum rigor patriæ potestatis illum, tanquam servum, tractaret, adeoque thesaurum ab ipso inventum peculio profectitio per consequentiam adscriberet. Probatur hoc expressis verbis *princ. leg. cit.* Si is, qui in alienâ potestate est, thesaurum invenerit in personâ ejus, cui acquirit, hoc erit dicendum, ut si in alieno agro invenerit, partem ei adquirat, si verò in parentis dominive loco invenerit, illius totus sit; si autem in alieno, pars, &c. *Hæc Triphonin.* Quoad jura verò recentiora *Institutionum & Codicis* videtur hæc immutasse Justinianus, dum illud propriè ad peculium profectitium restrinxit, quod filius acquirit ex re sui patris, aut ad minimum occasione ejusdem, *§. 1. Inst. per quas person. cuiq; acquir.* Jam verò thesaurum filius hoc modo non acquirit, sed eidem, tanquam speciale DEI donum, obvenit: Ergo portione inventori debitâ ex merito frui debet, *add. t. t. C. de bon. quæ lib. & de bonis matern.* Quo fortè modo restringerem *Synops. Basilic. lib. 50. tit. 1. cap. 69. Harmenop. lib. 2. τὸ ἐξ εἰς.*

rit. 6. secus ac faciunt cum *Gloß. Dd. it. Bitsch. §. 223.* soli patriæ potestati innitentes. Inde etiam manifestò fuit, quod *arg. l. fin. C. de Collat.* filius, utut sub patriâ potestate comprehensus, hanc suæ inventionis partem cum reliquis fratribus, post mortem patris, communicare & conferre in communem hæreditatem non cogatur, *jung. Joh. Guid. de Mineralib. lib. 3. tit. 10. 32. num. 38. Dian. l. c. Resolut. 8.* *Secunda esto:* quod Thesaurus, à servo communi in alieno inventus, debeat inter dominum fundi quoad dimidium & inter condominos servi dividi, ita tamen, ut rursus inter allegatos condominos, ratione dimidietatis suæ, æquis partibus subdividatur. Consentit rursus *Triphoninus l. c. §. 1. verb.* si communis servus in alieno invenerit: utrum pro dominicis partibus, an semper æquis adquiret? & simile est, atque in hereditate, vel quod ab aliis donatum servo traditur: quia & *thesaurus donum fortune creditur*, scilicet, ut pars, quæ inventori cedit, ad socios, pro quâ parte servi quisque dominus est, pertineat. *Tertio esto:* Quod servus communis, si non datâ operâ in fundo unius ex dominis thesaurum invenerit, faciat eundem quoad præmium inventionis, sive partem dimidiam inventori competentem, non soli fundi domino acquiri, sed omnibus potius, qui in ipsum condominium prætendunt, Rationem cum *Card. de Lugo, de Just. & J. disp. 6. Sect. 11. n. 124. tom. 1.* darem hanc, quod servus in hâc inventione non magis nomine domini fundi illius, quàm reliquorum suorum condominorum, invenisse censeatur; præsertim cum non ad inveniendum thesaurum, sed ad aliter laborandum in fundo à domino illius fuerit destinatus: alia res fuisset, si ille fundi dominus ipsum præcisè ad thesaurum in suo investigandum & effodiendum adhibuisset, *vid. thes. 17.* Graviter interim nobis contradicunt *Azo, in Summ. Cod. de Thesaur. num. 4. Bitsch. l. cit. Guid. l. c. num. 42. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. fin. num. 12. P. Turrian. in 2. 2. tom. 2. Disp. 43. dub. 2. num. 23. & Dd. ferè communiter urgentes l. c. 63. §. 2.* ubi non parum intricatè *Triphoninus*, si communis, inquit, servus in domini unius fundo proprio invenit, de parte, quæ soli domino semper cedit, non est dubium, quin solius domini prædii sit. Verum, an aliquid ex parte ferat alter
alter

alter socius, videndum est: & numquid simile sit, atque cum stipulatur servus jussu unius domini: aut per traditionem aliquid accipit, vel nominatim alteri: *quod magis dici poterit*. Hæc *Triphoninus*: cujus verba omnia *interrogative* quidam legenda putant, ita quidem, ut dubius videatur mansisse Jctus, hoc modo: *quod magis dici poterit?* huc quoque inclinatur *Gloss. 2. in verb.* legas *interrogative*, ut postea dicas medietatem medietatis acquiri alteri; quod videtur habere rationem secundum *Al.* Mihi in hoc casu magis placere debet *Gloss. 3.* ne contradictionis (quæ aliàs inter *J. 1. & 2.* hujus Jcti manifestò remaneret) leges nostras arguere videar, nimirum verba: *quod magis dici poterit*: esse responsoria ad dubium ab initio propositum, an aliquid ex parte ferat alter socius: quem solum exprimere videntur sequentes particulae emphaticæ: *videndum est*. Quæ enim habet *glossa prima*, quasi scilicet *magis dici possit*, ut ei soli (fundi domino) acquiratur, quemadmodum stipulando, vel nomine ejus per traditionem accipiendo: est contra probabilitatem non solum, sed & intrinsecam rationem Juris Justiniani. Nec obstant verba Jcti *Ulpiani in l. 4. ff. de stip. serv.* ubi, si servus, inquit, communis sibi & uni ex dominis stipuletur, perinde est, ac si omnibus dominis & uni ex his stipuletur: veluti Titio & Mevio, & Titio: & probabile est, ut Titio dodrans Mevio quadrans debeat. Respondebit enim pro me *Lugo l. c.* non esse in casu *Triphonini*, sicut si domini, ad quem fundus spectat, jussu & nomine inveniens servus stipulatus fuisset: sed sicut, si missus ab eodem domino ad aliquem locum in ipso itinere gemmam invenisset vel donum magni pretii, quod certè omnibus acquireret, cum non fuisset ad illud lucrum ab initio domino deputatus, sed ad aliud negotium peragendum. Quod autem ea fossio vel iter occasio lucri fuerit, nihil refert: nam si mercenarius jussu domini laboret in agro, & ibi casu Thesaurum invenisset, dimidia pars, inventori respondens, non agri domino, cujus jussu ibi laborabat, sed mercenario competeret. Quod verò ager sit illius domini, facit, quod dimidia pars ei respondeat, non verò, quod inventio vel portio inventioni respondens ei competat. Quare illud lucrum, quoad eam partem, credi-

creditur omnibus dominis ex æquo acquiri, si ex æquo sint domini illius servi, &c. Quilibet igitur casus diversitatem in *l. 63. §. 2. de A. R. D. & l. 4. de Stip. serv.* ex hisce traditis comprehendere poterit. Ut proinde minus congruè *Diana §. sequ. l. c.* utramque hanc sibi è diametro contradicentem sententiam probabilem esse dixerit. De eo servo, quem bonâ fide possidemus, thesauros fortuito inveniēte idem iudicium esto: quamvis nec per hunc thesaurum, nisi respectu particulæ, quæ jure loci nobis defertur, acquiramus secundum *Bitsch. §. 226.* Non absimile dicendum, si quis non per hominem, sed per animal aliquod irrationale (v. g. canem, suem, bovem) thesaurum invenerit, *vid. Johan. Guid. l. c. num. 44. Dian. l. c. res. 8. Florian. de S. Petr. in l. statua. 41. ff. de Usufruct. Chassan. in Consuet. Burgund. §. 1. verb. Espaves. num. 18. Contr. Lag. in meth. jur. civ. part. 2. c. 28. num. 9. Bertach. in repertor. sub verb. Canis. & verb. The-saurus.* licet autem hoc inter raro contingentia *Bitsch. §. 224.* numerare velit cum *Jacobin. de S. Georg. in l. singularia. ff. si cert. ego tamen non adeo infrequentem hujus thematis casum extitisse arbitror: nisi forte eum intelligere velis de animali ad inveniēdos thesauros edocto, quò inclinat Bitsch.*

Thef. XXIX.

Quid juris in fideicommissis illustriorum familiarum & majoratibus? Iis, durante majoratu, idem jus attribuo, quod veris dominis; quare etiam ex horum naturâ negotium dijudicandum censeo. Non obstat, quod cum morte possessoris majoratus jus ad alium transeat, adeoque videatur dominium eidem non plenè quæsitum. Quoniam duratio & facultas transferendi rem ad alium pro lubitu, ad dominii essentiam propriè non spectant, ut multis demonstravit *Hugo Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 3. §. 19. in fin. & lib. 3. cap. 20. §. 5.* quare ejusmodi personæ thesauri inventi, datâ licet operâ, lucrum & commodum denegare non possum. Audiamus de hoc philosophiam Theologi *Molinæ, tom. 1. tract. 2. disp. 56. num. 7. pag. 248.* Thesaurus, inquit ille, in prædio vinculo primogenii ligato repertus, quoad portionem, quæ ex illo domino prædii debetur, integrè pertinet ad

ad possessorem majoratus, imò neque fructus, quin potius, stando in solo Jure naturali & gentium, totus futurus erat primi occupantis: quo fit, ut, quod dispositione juris civilis possessori tunc, tanquam vero domino fundi, debetur, nullum vinculum bonorum primogenii fortiatur, sed liberum omninò maneat, ut de illo, ut libuerit, disponat, *add. Molina § Ctus de primogenit. Hisp. lib. 1. cap. 23. num. 3. & seqq. ibiq³ plur. Dd. Garz. de expens. cap. 22. num. 50.*

Thef. XXX.

Porro thesaurum suum facit Emtor, licet, sciens thesaurum in alieno agro reconditum esse, agrum emat, nec facit venditori ignoranti injuriam, quamvis idem saltim pretium, ac si nihil reconditum sit, solvat, dominiumque postea eruti thesauri, non obstante *l. 2. C. de rescindend. Vendit. sibi comparet.* Rationem dat *Lessius d. 15. num. 62.* quia emtor thesaurum eruit ex loco proprio, nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat uti suâ scientiâ emendo agrum illum secundum communem æstimationem, ad quam nihil facit thesaurus absconditus, cujus nulla habetur suspicio. Melior adhuc est decisio *Laymanni, l. 3. tract. 1. cap. 5. num. 23.* quia thesaurus, cum in fundo non natus, sed positus fuerit, pars, sive fructus fundi non censetur, neque ad dominium alicujus pertinet, antequam eruatur: erutus autem à domino fundi, eidem mox acquiritur. Cum ergò emtor post traditionem fundi dominus existat, jus habet & eruendi & dominium sibi acquirendi latentis in eo thesauri, *add. Salon. 2. 2. quæst. 56. art. 4. conclus. 5. idem intendit Molin. t. 1. tract. 2. disp. 56. num. 4.* innuens, eum, qui scit in illo agro thesaurum latere, non teneri id domino detegere, sed posse uti eâ scientiâ in proprium commodum, posthabito commodo alieno. Si enim, stando in solo naturali ac gentium jure, thesaurus domino vacat, & primi occupantis est, non secus ac feræ, propter eandem rationem, primi capientis dicuntur; Jus verò Romanorum fuit, quod ex quadam æquitate atque ad pacem conservandam statuit, ut vel totus vel dimidium illius esset domini agri; consequens profectò est, ut, nihil eâ scientiâ impedi-

H

licite

licite quis possit agrum illum emere eo pretio, quo justè emere-
tur, si in eo non lateret thesaurus, ut, comparato ita dominio
agri, suum efficiat thesaurum illum integrum. Secutus est alle-
gatos *Bonacin. l. c. num. 7. pag. 461.* subjiciens, præter jam mo-
nita emptorem quoque non teneri indicare venditori thesau-
rum latere in fundo ipsius, aut id pretium fundi augere; quia fun-
dus non emitur ratione thesauri in eo latentis, sed ratione su-
perficieci. Verum hæc cum *Laymanni* traditis, si rectius ponde-
rentur, serè coincidunt, *jurg. Filliucc. tract. 31. cap. 6. quest. 10.*
num. 156. & tract. 35. num. 125. Azor. part. 3. lib. 8. cap. 24. & plur.
ap. Dicastill. l. 2. tract. 9. Disp. 4. dub. 10. num. 145. Navarr. c. 17.
num. 175. Sor. lib. 5. quest. 3. art. 3. ad 2. Thom. de Aquino, 2. 2.
quest. 66. art. 5. ad 2. pag. 228. ibiq; Thom. de Vio Cajetan. argu-
mentantes ex verbis CHRISTI, cap. XIII. Matth. ubi sic ait:
simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem,
qui invenit, præ gaudio vadit & vendit universa, quæ habet &
emit agrum illum. Atque hoc modo consulti Scabini Jenenses
Ao. 1636. in causâ Titii vendentis 100. floren. ædes suas Cajo,
quas hic tanquam ruinosas demoliens in parte muri inferiori in-
venit 1000. thaler. adjudicarunt inventum emptori, propter *l. 67.*
de R. V. vid. Dn. Bechmann. Exot. Ex. 15. num. 49. Magis per sub-
distinctionem progredi conatur *Johann. de Dicastill. de J. & J.*
l. c. num. 147. pag. 867. Notandum est, inquit Ille, posse emi
agrum tempore, quo jam notus est Thesaurus aliquibus, vel
quando omninò ignotus est aliis præter ementem: & in hoc se-
cundo casu est nostra sententia. Probari potest: quia, ut pa-
tet ex *l. nunquam. ff. de Rer. Divis.* dominus illius agri non est do-
minus thesauri, sed superficieci, ut docent Juristæ pluresque
Theologi; per illam enim appretiat ager, quamdiu ignotus
est thesaurus, atque ideò illam vendit. Quamdiu enim igno-
tus est thesaurus omnibus, non potest ager, ratione illius, in ma-
jori pretio haberi, ac proinde justè emitur pretio communi. Si
verò thesaurus notus sit aliquibus, non poterit emens emere
pretio communi, non habitâ ratione thesauri. Ex quo enim
cœpit cognosci thesaurus, cœpit etiam crescere pretium com-
muni æstimatione; atque hoc verum puto, stando solùm in jure
na-

naturæ. *Hæc Dicastill.* Ast quoniam dominus agri exinde dominium statim thesauri in eo latentis non sibi acquirit, quod sciat alius, ipsum ibidem positum esse, sed propriâ scientiâ & declaratione voluntatis suæ indiget, ut supra demonstratum. *thes. 10. & seq.* nescio certè, an hæc *Dicastilli* subdistinctio firmo stare talo queat? malletem igitur hîc opinionem fulcire communem. Non eo tamen inficias, principem territorii supremum, per legem suam positivam eò adstringere valere inventorem, ut vendenti aliquid de præscito, ante emptionem, thesauro largiatur, ad quod ipsum quoque generaliter invitare debuisset charitas & studium proximi commodum promovendi cum propriâ utilitate innoxia; quò fortè inter alia respexisse credas *Angel. verb. emptio. §. 4. Armill. verb. inventum. n. 2. Ludov. Roman. cit. à Padill. lib. 2. de Rescind. vendit. num. 62. Hurtad. de J. & J. Disp. 1. diff. 35. contra quos disputant Vasquez. cap. 5. §. 4. dub. 2. num. 33. Dicastill. l. c. num. 151.* quorum opinio secundum justitiam particularem & quoad jus venditori quæsitum stricteque sic dictum optimè procedit. Non enim propriè damnum inferitur vendenti, quia thesaurus nondum erat suus, neque agri pretium auctum erat ratione illius: neque decipit injustè, qui non manifestat, quod non tenetur manifestare. Civilistas cumulare nolo, fecit *Bitsch. de Thesaur. §. 196.* cui jungas *Arumæum Decis. Jenens. 1. per tot.* de cætero thesaurum venditori sub sæpe allegatis legibus acquiri, si emtori fundum non tradiderit, optimè deduxit *Bitsch. §. 205. & seq.* quicquid in contrarium voluerint *Wesenbec. ad §. thesauros. verb. loco suo. Inst. de Rer. divis. p. m. 339. Henric. Nebelky. lib. sing. decis. 9. per tot.* Venditor namque ante traditionem secundum Jus Civile (aliud ex conjecturâ naturali contendit *Grot. l. 2. c. 12. §. 15.*) adhuc dominus est; ergo etiam emtori tunc ex generali decisione *§ thesauros.* nulla, nisi inventoris jura, competent. Cui thesaurus in fundo cum pacto deretro-vendendo vendito repertus, cedere debeat, expressè apud nullum se invenire potuisse, dicit *Berlich. part. 2. Concl. 2. num. 57.* tandemque concludit, quod Thesaurus non pertineat ad emtorem, sed prout aliàs in jure de thesauro provisum est, is cedat pro dimidiâ emtori, tanquam inventori, pro dimidiâ

venditori, tanquam fundi domino: atque pro se insimul alle-
 gat *Dan. Moller. lib. 4. semest. c. 27. num. 3.* Consentit *Dn. Li-*
pold. in append. Von Schatz finden / S. 5. pag. 6. verb. findet
ihn aber ic. Dergleichen Personen, welche nur wieder
 käufflich auf gewisse Zeit ein Recht an einem Guthe
 haben / ic. Dieselben mögen sich deß also von ihnen ge-
 fundenen Schatzes weiter nicht / als zur helffte / an-
 massen / und gebühret die and. re helffte ic. den Eigen-
 thums-Herren. Verum placet in hoc magis opinio negati-
 va *Bitschii, S. 190 & sequ.* cum emtor, pacto hoc non obstan-
 te, medio tempore reverà dominus sit, adeoque omnibus ju-
 ribus ex dominio fluentibus illudque, ex legum permissione,
 concomitantibus fruisi debeat. Quæ in contrarium afferun-
 tur, levia sunt: falsum quippe (1) quod emtor cum pacto de retro-
 vendendo non plus juris habeat in eo fundo, quam usufructua-
 rius; cum reverà ipsum *Berlich. l. cit. in fin.* dominum vocitet,
 quod prædicatum usufructuario tribuere nequit. Necquicquam
 facit (2) quod de revocabilitate dominii docet; nam & is domi-
 nus est & jure dominico exactè utitur, qui per momentum do-
 minus est, *add. §. 29.* adeoq; eodem jure cum vero domino uti-
 tur. (3.) Non valet consequentia deprompta ex *l. divortio.*
§. 12. Solut. Matrimon. magna enim diversitas est inter mari-
 tum in fundo dotali thesaurum invenientem, & emtorem,
 pacto retrovenditionis gravatum, de quâ *Bitsch. à §. 177. ad*
§. 189. add. Gartz. de expens. cap. 13. num. 3. & cap. 22. num. 49. Petr.
Gregor. Tholosan. in Syntagm. Jur. Univers. lib. 3. cap. 11. num. 4.

Thef. XXXI.

Si Thesaurus conditus fuerit in re mobili, v. g. in saccis la-
 nâ plenis, quæritur, utrum is, qui efficitur dominus lanæ, effi-
 ciatur etiam dominus thesauri? Respondent DD. non videri
 hoc ipso effici dominum thesauri, quia non intendit illum oc-
 cupare, cum in venditionis contractum non venerit pecunia
 propter ignorantiam, *l. 67. ff. de R. V.* sed ei, qui posuit, vel he-
 redibus ejus, restituere debere. Habet tamen juxta *Lesium l. c.*
num. 62. jus illum occupandi ante alios: unde miles, qui ex-
 cussit

cussit hosti saccos lupulo refertos, in quibus erant laminæ aureæ & argentæ reconditæ, non fuit factus dominus illarum, cum illos vendiderit, antequam sciret, quid lateret. Aliud non dissimile exemplum proponunt *Dian. Res. 16. l. c. cum Laymann. loc. cit. pag. 261.* Sed esto, emtor triennio cum bonâ fide possederit, nesciens aurum absconditum esse; dici tamen nequit, eum cum præscriptione dominium acquisivisse. Is enim, qui nescit, non possidet aurum, quamvis possideat saccum, in quo est aurum, *arg. l. 3. §. Neratius. de A. P. sine possessione autem nulla est ufucapio.* Quod si verò rem mobilem emens sciverit pecuniam, aut alia pretiosa rationem thesauri habentia ibidem latere, idem, quod in *th. præced.* iudicium est, tam intuitu *equitatis*, quam *juris* aliàs *competentis.* Distingvit quidem *Card. de Lugo, tom. 1. de F. & F. disp. 6. Sect. 11. num. 130.* hoc modo: si miles in deprædatione saccos rapit, volens illos occupare, quicquid id esset, quod intus contineretur, factus fuit dominus auri & argenti: si autem intentionem limitavit ad lupulum, quia nihil aliud contineri credidit; non acquisivit laminas: interim tamen illæ non sunt in nullius bonis; sed sunt in dominio hostis, cum miles non voluerit adhuc eas sibi acquirere. Unde, qui à milite saccos emit, si jus habet expoliandi hostem, potest quasi in prædam sibi laminas usurpare: sin minus, debet *vel* antiquo domino, qui adhuc dominus permanet, reddere, *vel* manifestare illis, qui jus habent deprædandi & ab eis minori pretio eas emere, quasi in præmium talis manifestationis, & occasionis lucrandi, quam potuisset eis non offerre. Interim *Lesii* opinionem, cui jungit *Serram, in 2. 2. tom. 2. quest. 66. art. 5. dub. 10. & Bannèz. ibid. concl. 5. ad 1.* absolutè probabilem esse putat à Patrono suo, quod mirum simul atque rarum est, secedens *Dian. loc. cit. resol. 16. in fin.* cui meum quoque calculum adjicere non dubito.

Thef. XXXII.

De usufructuario nudo res est conclamata, eundem thesaurum suum facere non posse, *arg. l. 7. §. 12. ff. solut. matrimon. Garf. de Expens. cap. 22. num. 51.* (jure scil. proprietarii, secus est, si consideretur, ut inventor fortuitus) *Quanquam sep. cit. Na-*

H 3

varr.

varr. num. 175. aliique hunc dominum censendum arbitrentur, sicuti & eum, qui ad vitam conduxit; idem juris est de Usuario & Conductore, Bonac. tom. 2. de rest. in integr. disp. 1. qu. 3. punct. 6. num. 8. pag. 462. Illorum tamen dominium non se extendit in corpus ipsum fundi, quo utuntur fruuntur: cum igitur sub hoc jure specialiter à proprietario thesauri apprehensio iisdem non fuerit concessa, idcirco etiam nunquam illa præsumitur, add. Dn. Joh. Christoph. Lipold. in append. von Schatz finden S. 5. pag. 6.

Thef. XXXII.

Creditor in pignore, nisi jure inventoris, thesaurum suum non facit, Nicas. de Voerd. ad §. thesauros. num. 4. Notabilia sunt de hoc verba Juris-Consulti Tryphonini in l. 63. §. 4. de A. R. D. si creditor, inquit, invenerit, in alieno videbitur invenisse: partem itaque sibi, partem debitori præstabit: nec receptam pecuniam restituet, quod jure inventoris, non creditoris, ex thesauro apud eum permansit. Quæ, cum ita sunt, & cum ex Principis autoritate creditor proprium agrum tenere capit, jure domini, intra constitutum luendi tempus pignoris causa vertitur: post transactum autem tempus, thesaurum in eo inventum ante solutam pecuniam totum tenebit: oblato verò intra constitutum tempus debito, quoniam universa præstantur, atque in simplici petitore revocantur, restitui debet, sed pro parte solâ: quia dimidium inventori semper placet relinquere, add. Manx. ad §. thesauros. num. 38. Camill. Borell. de Cathol. Reg. præst. cap. 27. num. 50. Bitsch. §. 131. Sixtin. de Regal. l. 2. cap. fin. num. 53. Casp. Klock. de Arar. l. 2. c. 116. num. 20.

Thef. XXXIII.

Quodam tempore, quum Temirus vel Tamerlanes Scyta, qui vulgò flagellum vel ira Dei dictus fuit, iter per Syriam faceret, obtulit se ei arator, qui tum in vas ingens aureæ monetæ arando impeggerat. Quum autem omnes, qui cum Rege erant, Regis aurum illud esse dicerent, quoniam inventi, qui occultantur, thesauri fisci putantur; Jussit Rex (Tamerlanes) monetam inspi-

inspici, & ab astantibus percontatus est, putarentne patris sui imaginem esse, quam pecunia expressam habebat cui, quum respondissent, Romanorum principum effigiem esse, tunc respondit Tamerlanes: Si ergo hæc pecunia majorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deus eam detulit. Cæterum nonnullis in regionibus thesaurus, etiam in proprio loco à nobis inventus ad principes & dominos territorii perinde, ut alia à *δέσποτα*, pertinet quoad certam partem, *Covarruv. in c. peccatum. part. 3. §. 2. num. 4. Joh. de Dicastill. de J. & J. l. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 15 num. 409. Francisc. de Amaya, ad l. unic. C. de thesaur. num. 49. Grot. de J. B. & P. l. 2. cap. 8. §. 7. Vinn. ad §. 39. Inst. de R. D. Perez. ad tit. de Thesaur. num. 14. Barbos. l. 8. Dn. Struv. Synt. J. C. Ex. 41. thes. 54. & Synt. J. F. cap. 12. aphor. 5. num. 2. cum Paul. Christin. Decis. Belg. Vol. 1. decis. 16. num. ult. decis. 17. num. 9. Arnis. de J. Majest. cap. 6. num. 23. Vasquez. de restit. cap. 5. §. 4. dub. 2. in fin.* Idque non absurdum: nemo enim potest conqueri sibi à Principe suum auferri, cum hoc ad fundum, in quo invenitur thesaurus ille, non spectet. In iis autem, quæ nullius sunt, Principem pro utilitate Reipublicæ disponere posse, juris est indubitati, idque non tantum in prædiis subditorum, sed aliquando etiam Vasalli, *add. Matth. Steph. de Jurisdic. lib. 2. part. 1. cap. 7. num. 44.* Displicet hoc *Dominic. Soto, de J. & J. lib. 5. quest. 3. art. 3. ad 2. b. pag. 437.* utrum, inquit Ille, Princeps quotam aliquam thesauri ab inventore exigere valeat, quis fortè dubitet? Respondetur autem, *nullam in tali exactione apparere justitiam*, & ideò in Hispaniâ non est in usu, neque, ubi esset, crediderim conscientias obligare, sed inventorem secundum Jus Commune posse bonâ conscientiam possidere. Nam *dict. tit. Inst. §. thesauros.* nihil meminit Principis, sed ubi ait, quod, qui repererit in loco alieno, medietatem det domino, subdit, quod pari ratione, si invenerit in loco Cæsaris, dimidium det Cæsari, & si in fiscali loco vel publico, det etiam medietatem fisco. Et idem legitur *l. non intelligitur. ff. de J. F. §. si in locis.* quæ quidem leges non loquuntur, nisi ubi loca sunt propria principis, seu civitatis. Quocirca Princeps, tanquam dominus, non potest quippiam exigere, quando thesaurus infos-

sus

sus est in loco Civis, nisi forsan ingruente gravi necessitate publica, tanquam gubernator poterit id genus tributi petere, quod nescio, an satis probarem, &c. Hæc Soto, qui satis infeliciter nobis ea, quæ Juris Civilis sunt sancita, cum facultate per se Majestati Politicæ concessâ confudit, adeoque hîc nomen Doctoris moralis vix ac ne vix quidem promeruit. Interea nos liberius statuimus, nimirum, quod non tantum pars, sed integer quoque Thesaurus, ex circumstantiis singulariter hoc poscentibus, in subsidium necessarium, atque ad onera Reipublicæ sustinenda Principi applicari possit, vid. Brunnem, ad C. de Thesaur. num. 8. etiam si Lessio l. c. dub. 7. num. 66. durum, difficile & dissonum ex Jure naturali videatur: Cui iterum jungendus Soto l. c. a. hinc fit, subjiciens, opinionem Paludani in quarto, dist. quest. 3. dicentis, tam ex consuetudine universos thesauros, ubivis reperiantur, esse Principum, non esse auscultandam; ut bene ait Sylvest. in verb. inventum. §. 13. quoniam talis consuetudo in Republicâ benè institutâ non est introducta. In Hispaniâ namque istæ leges citatæ ad literam servantur, quare si contraria consuetudo alicubi obtinuit, est per vim, contra Jus Naturæ & Gentium. Habemus enim Instit. §. l. citat. quod Adrianus, naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui thesauros invenerit. Et l. illa. C. de Thesaur. inventori, inquit, liberam tribuimus facultatem, ne ulterius DEI beneficium invidiosa calumnia persequatur. Attamen nec hanc quidem doctrinam suis Autoribus undiquaque dignam reor. Primò namque duritiem emolliunt salus communis, Principis voluntas, & nullius in rem inventam prætentio naturalis; quæ tria conjunctim civem quoque ad alia majora adstringunt. Secundò planè absonum est, quod Lessius vult dissonantiam quandam juris naturæ hoc loco extorquere; quum illa hoc passu nihil præcipiat, sed solummodò permittat, ex probabili præsumptione & conjecturâ, quam tamen Princeps, vi imperii, pro lubitu ampliare & restringere valet, uti quoque ex dispositione Juris Justiniani cuilibet est perspicuum. Hinc ipse Lessius tandem fateri cogitur, opinionem Covarruvia, quæ nobis

nobis favet, non esse improbabilem, quamvis rationes ipsius non convincant: sed quoniam illas examinare ausus non est, ideoque easdem, nondum impugnatas, defendere aut vindicare supervacuum esse duximus. Quid *Sot.* reponere debeamus, ex traditis hucusque patebit. Concludamus igitur *h. th.* cum *Jacob. Gräff. Syntagm. Jur. Publ. cap. 47. num. 7.* verbis: In quibusdam civitatibus receptum est, ut thesaurus, ubicunque inventus, pro Reipublicæ utilitate, exemplo bonorum vacantium, de quibus Princeps ad salutem & utilitatem publicam suo jure disponit, quo exercendo nemini injuriam facit (*add. Dissert. sub Dn. Pres. de Bon. Vacant.*) in totum fisco acquiratur. Sic Angliæ Rex Richardus II. nobilem insequutus, quod thesaurum inventum tradere nolisset. Gothorum Reges thesauros repertos sibi reservarunt. In Hispaniâ Lege Regiâ constitutum, ut quinta tantum pars inventori relinquatur, reliqua in fiscum conferantur. Procurator Regius in Galliâ pro integro Regi thesauros adjudicandos conclusit. Et denique Camera Rationalis Hollandiæ jus inviolatum in hunc usque diem sustinuit, præstitâ laboratoribus inventoribus, libellum supplicem offerentibus, ratione paupertatis (nam plerumque à pauperibus laborando casualiter inveniri solet) felicitatis suæ justâ remuneratione, *add. Maximil. Faust. ab Aschaffenburg. Consil. pro Arar. Class. 6. Consil. 22. Ordin. 564. pag. 251. Klock. de Arar. l. c. n. ii. pag. 616. ibique plur. cit. Dd. Hug. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 8. §. 8. ibique not. Dn. Presid. pag. 309.*

Thes. XXIV.

Deberem subicere divisionem Thesauri, sed de hac ita conclusit eruditus Jctus sæpe laudatus *Bitschius, §. 39.* Thesauri, statuit Ille, ut generis in species, divisio nulla est; est enim Thesaurus, ut pleraque alia juris nostri subjecta, non generis intermedii, sed imæ speciei nomen: cujus divisionem propriè non esse, ex Logicis notum est. Huic opponi possunt, quæ habet *Paracels. Philosoph. Occult. tom. 9. oper. apud Speidel. verb. Schatz. hoc tenore; Der Schätze aber seynd zweyerley; Einer mag gefun-*



gefunden und überkommen werden/ der ander nicht. Das ist
aber nun der Unterscheid : der eine / welcher gefunden und
überkommen mag werden / ist ein Schatz von dem Geld / so
wir selbst machen / und von uns herkommt. Das soll nun
und muß ein ieglicher Schatzgräber wissen / und auf die Zei-
chen/ wie gemeldt/ achtung geben. Dann die Wünschelruthe
ist betrüglich/sie gehet zu gerne etwa nur auf einen Pfennig/der
verfällt oder verlohren ist worden. So seynd auch die andere
Visiones in Spiegeln / Chrystallen und dergleichen / wie es
denn die Nigromantische Schatzgräber gebrauchen/auch falsch
und betrüglich/ derohalben ist sich auf solches nicht zu verlassen.
Nun aber von dem Graben zu reden / wie man die Sachen
soll angreifen / und nach dem rechten Proceß / glücklich und
fürsichtiglich zu handeln / geschichts auf diese Weise: Anfäng-
lich hebe an zu graben in der Influenz Lunæ oder Saturni, und
wenn der Mond gehet im Stier/ Steinbock und Virgine, und
brauche sonst keiner Ceremonien nicht / darffst auch keinen Cir-
cul machen / oder eine Beschwörung darüber thun / allein gra-
be frölich hinein/ und habe nicht seltsame böse Gedancken / noch
imaginationes der Geister halber / sonst erscheinen dir von
Stund an wunderliche Fantaseyen/ist doch nichts leiblichs da/
sondern ist nur ein Gesicht und Erscheinung / die nicht zu fürch-
ten ist. Darumb sollen die Gräber reden/ singen und frölich
seyñ/unverzagt und gutes Muths/ und keines wegs das Reden
verboten seyn / wie die Unerfahrenen dieser Dinge sagen. Und
so man nun schon auf den Schatz kommt/und sich viel Unge-
stümigkeit hören und grausame Dinge sehen lassen / ist's ein Zei-
chen/das er Hüter hat/ und von Sylphis und Pigmeis verwah-
ret und behütet wird / welche den Menschen den Schatz nicht
gönnen / noch von sich wollen lassen / und zuvor auß / wenn das
Geld ihr ist gewesen / oder durch sie dahin kommen ist. Sol-
cher Schätze nun soll sich der Mensch verzeihen/und davon ab-
stehen/

stehen/ wo diese nicht den Willen darein geben. Und ob schon
solche Schätze etliche gefunden / und überkommen werden / und
gleich diesen Hütern / als ein Raub / abgejaget / noch können sie
eine Kunst / nemlich / die Schätze zu transmutiren / etwan in ei-
ne spöttliche und heßliche Materi / als Erdreich / Roth und der-
gleichen / wie ich wol deren Exempel gesehen habe. Derohal-
ben / wo sich nun solche transmutationes zutragen / solt ihr dar-
umb nicht verzagen / ob es schon Gold und Silber nicht gleich
siehet / und niemand vermeynet / solches darinn zu finden :
Sondern solt gedencken an das Wort / so die Schrift sagt :
GOTT wird die Welt richten und urtheilen durchs Feur. Also
solt ihr hie auch verstehen / und solches durchs Feur urtheilen.
Item : an einem andern Ort stehet im Psalter : Das Gold
und Silber werde durchs Feur bewähret / rein und lauter erfun-
den. Derohalben muß in dieser transmutation auch das
Feur Richter und Urtheiler seyn / und ist sein Proceß nicht an-
ders / dann allein mit ihme in das Feur zu eilen / und in aller
maßen mit ihme zu handeln / wie mit anderm Erz oder Me-
tall. Also muß es wieder werden / wie es zuvor gewesen ist. It-
so ist auch leglich hie zu wissen / ie ungestümer und ungeheurer
es an solchen Orten ist / und ie mehr sich Gespenst da hören und
sehen lassen / ie grösser ist der Schatz / und ie höher er in der Er-
den vergraben liegt. *Haltenus Paracelsus.* Ego, missis su-
perstitionibus, quas vir hic involutas in pectore gefsit, repressas
diu ante me à cordatioribus, ex parte rei divisionem thesaurorum,
ab adjuncto inveniendi modo depromptam, non respuo: quæ
enim notior, quam inventio thesaurorum licita & necromanti-
ca? interim manet suo semper inconcusso talo asserti *Bitschiani*
veritas. Actiones, quibus thesaurus petitur, notissimæ sunt,
cum principaliter ex jure in re oriantur. Si enim verum est,
quod dominus prædii, radicaliter sic dictus, eo ipso statim do-
minium acquisivisse dicatur, quo res fuit inventa; sequitur e-

tiam, ipsi competere rei vindicationem. Atqui. Ergo. Minor est legum hactenus sparsim allegatarum, tum maximè quod nulla conventio præcesserit, aut factum quasicontractum præfigurans à lege notatum, cui aliàs propter inductionem legalem morem gerere deberemus. Instas, rei traditionem insecutamq; amissionem quamlibet rei vindicationem præcedere debere: Respondeo, hoc non semper necessarium esse de Jure Civili, per ea, quæ de legato tradunt *Ludov. disp. 9. th. 7. lit. 6. Dn. Struv. Ex. 41. th. 55. in fin.* Poterat enim effectum Juris Civilis sanctio superioris, à se posita, pro lubitu tollere & reformare, quomodò etiam interpretari poteris *Grotium, l. 2. c. 6. §. 1. num. 2. l. 2. c. 8. §. 25. & l. 2. c. 12. §. 15.* De probatione thesauri supervacuum judico verba facere, cum pro nobis loquatur *l. 23. C. de probat.* quam insequuntur *Canones, c. accusator. 6. qu. ult.* Quod si igitur in alieno solo thesaurum quis repererit, eumque restituere recusaverit, aut celare præsumserit, rei vindicatione à quovis dominium prætendente, tametsi fiscus fuerit, conveniri poterit, quam aliquando actio ad exhibendum præcedere solet, imò non raro pœna in super arbitraria, v. g. pecuniaria aut carceris, coërceri solet, pronunciantibus ita Scabinis apud *Carpzov. M. Majo, Anno 1600. Prax. Crim. p. 2. q. 86. num. 22. p. 308. & in Jurispr. Forens. part. 2. C. 53. def. 7. p. 878. in verb.* **So ist der Zimmermann den halben Theil des gefundenen Geldes dem jenigen / auf dessen Grund und Boden er es gefunden / zuzustellen pflichtig / und wird von wegen dessen / daß er solch Geld verborgener Weise alleine behalten / mit Gefängniß / auf 14. Tage lang / billich gestrafft. V. R. W.** Solet etiam aliquando juramentum injungi, si inventor in fundo alieno repertum thesaurum diffiteri non ausit, attamen minus, quam invenisset, fateatur: imò aliquando territio certusque gradus torturæ decernitur, si persona suspectæ conditionis, aut levioris notæ fuerit. Hujus ferè oblitus fuissem, quod si quis spectrum secutus thesaurum repererit, illum fisco restituere teneri.

T A N T U M.

Con-

Conclusio.

HÆc fuere, Lector benevole, quæ de fertilissimâ Thesaurorum materiâ meditari potui: fateor de cætero ingenuè, me nihil novi orbi protulisse, quin potius hæctenus operatum esse in themate plurimum ingeniosâ manu non semel atque iterum subactò, quare etiam reliqua præjudicia praxis nostræ quotidianæ, cum apud eosdem copiosè prostant, cumulare nolui. Movit siquidem me, ut denuò laborem susceperem, variorum doctiorum insimul & subtilium virorum in decidendis ejusmodi controversis casibus varias in partes distortum judicium, dum multi modò huic, modò alteri; cum domino, tum Vasallo; partim fisco & Ecclesiæ, partim subditis & principi territoriali (pro ratione affectuum difformiter constitutorum) præsens hoc fortunæ donum attribuere moliti sunt. Cum igitur eosdem frequentius moderni nostratum Jcti aut omiserint, aut non evolverint, meum fuit, eorum quoq; pondera luci cathedrali publicæ exponere,

additis sæpius, ubi opus fuit, verbis eorundem
ipsissimis, quatenus scilicet in iis, vel quid ex-
imii ponderis, vel singularis acuminis latere
arbitrabar. Ut interim tibi constet, quæ mi-
hi de Thesauris Dissertationes (perducto jam
ad finem, ut cum DEO contestari possim, meo
specimine præsentate) ex transmissione respec-
tively Fautorum & Amicorum obtigerint, en-
Tibi sequentes nominabo: Tubingæ, diri-
gente *D. Lauterbach* / de Thesauo disputa-
vit *Dn. Seyffart*; de eadem materiâ V Vit-
tebergæ cum *D. Coth* Jus Thesauri publicè
examinavit *Dn. Schüss*; similiter Helmsta-
dii Præsidente *D. Gläsero* respondit *Dn Schaffs-*
hausen; & Lipsiæ sub moderamine *D. Eckol-*
ti naturam thesaurorum jusque Principis cir-
ca eosdem discussit *Dn. à Burg*; imò Jeh-
næ idem thema, assistente *D. Schrötero*, venti-
lavit *Dn. à Bulow*. In aliis celeberrimis Mu-
sarum emporiis non absimile elaboratum
fuisse facillimè credo, tametsi usque dum
nihil præterea videre aut communicatum ha-
bere potui. Conferas igitur, Lector Benevole,
cum

cum allegatis horum graviorum Virorum
meditationibus messeque quaestionum ferti-
lissimam meum, quaecumque licet, quod ti-
bi praesentavi, spicilegium, (procul dubio
per aliquot adhuc quaterniones extenden-
dum, *ni iter ad exteros abitum maturare
injungeret*) & tua pace judices, an & quid
ex iisdem (more multorum proh dolor!
maxime dolendo, qui eruditiorum scripta
in minus fervente suo immaturitatis furno
publice proterveque recoquunt) excerpse-
rim pariter ac exscripserim. Consulas de-
mum aequi *conamen*, cujus si correctionem
adjicere velis, nunquam Tibi, ad discendum
promptissimus, contradicam. Vale!

A *Usibus hic radios monstrat tua vivida
virtus:*

*Perge modo, Et capies summa brachia
brevis.*

Generoso atque Nobilissimo Dn. Autori, amico
suo perquam dilecto, gratulante calamo,
singularique affectus testimonio hoc offi-
ciosè subjicit


M. G. Baro de Herberstein.

I assu-

I' Assureray icy M.^r Paul de Ramel, que
j'estime plus son Amitié que tous les tre-
sors, dont il nous parle, que je la regarderay
comme un avare fait ses tresors, & que je la
conserveray tousjours comme un tresor. Je
prie le Ciel, qu'il soit un jour le tresor de sa
Patrie, & que je puisse luy montrer à quel
point je suis

Son tres humble Serviteur & tres
fidel Frere

Venceslaus de Trach
& Birquensfeld.



00 A 6412

ULB Halle 3
002 916 525




Sb.

R

10/17







2A

~~2A~~
27

THESAURUM.

PRÆSIDE.

DN. JOH. GEORG. SIMONE. D.

EXHIBET.

PAUL, DE. RAMEL.

EQV. POMERAN.

JENÆ. DIE. XXIII. AUGUST. M. DC. LXXIIX.

TYPIS. MÜLLERI.

LEIBNIZIANUM
BIBLIOTHECA

Doyen du Chapitre de Brandebourg

